DE GRAECISMORUM USU VERGILIANO QUAESTIONES SELECTAE.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM CONSENSU ET AUCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM PHYSICORUMQUE IN ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE GUILELMIA GUESTFALA MONASTERIENSI ORDINIS AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

A. LOHMANN

GUESTFALUS.

MONASTERII GUESTFALORUM 1915

EX OFFICINA SOCIETATIS TYPOGRAPHICAE GUESTFALORUM.

De dissertatione probanda ad philosophorum ordinem rettulit

P. Sonnenburg.

Consensu et auctoritate ordinis philosophorum dissertationem typis expressam esse testatur

R. Rosemann,
h. a. decanus.

Parentibus sacrum.

Conspectus rerum.

Praefatio.

Haud scio an multis absurdum videatur de graecismorum usu Vergiliano quaestionem iterare. Nam inde a Linacri aetate, qui primus voce graecismi sive hellenismi usus est (De emendata structura Latini sermonis libri VI Lipsiae 1548, Coloniae 1557 p. 467 sqq.), haec res virorum doctorum disquisitionibus adeo agitata est, ut vix aliquid ultra effici posse videatur. Neque tamen adhuc consensum assecuti sunt. Alii enim graecismorum numerum permagnum esse censent, alii graecismos omnino non esse iudicant. Praecipue Daniel Vechner (Parallelismi Graecolatini s. hellenolexias libri duo ed. Heusinger, Gotha 1733) in graecismis venditandis summo studio versabatur. Hac quoque aetate Brenousius (Les hellénismes dans la syntaxe latine, Paris 1895) linguae Graecae summam vim adscripsit. Contra non desunt, qui ullum graecismum in Romanorum sermone esse omnino negent, ut Chr. Jaenicke (Die sog. Graezismen im Infinitivgebrauch bei Vergil, Progr. Oberhollabrunn 1874) et F. Piger (Die sog. Graezismen im Gebrauche des lat. Accusativ, Progr. Iglau 1879), qui viri docti consuetudine Graeca omnino reiecta omnes structuras e linguae Latinae ingenio solo ortas explicare student. Immo quantopere vox graecismi nonnullis viris doctis odio fuerit, E. Hoffmanni iudicium (N. Jahrb. f. Phil. u. Paedag. 109, p. 545) docet, cum eum miseram explicandi rationem, qua sermonis Latini ignorantia tegatur, vocat. Simili ratione, licet non tam acerbis verbis usus sit, vel Fr. Leo (Plaut. Forsch.[2] 1912, p. 103) ne graecismos indagare conaremur monuit. At unde haec ingens discrepantia oriri potuerit, haud sine iusta causa quaeres. Cuius rei Leo ipse causam docet, cum de 'levibus' quibusdam graecismis, quos Latinorum proprios fuisse non negat, loquitur. Unde elucet varia esse graecismorum genera. Profecto haec ipsa ratio omnem dissensionem effecit, quod graecismorum notio ab aliis aliter intellegitur atque describitur. Primum igitur eorum natura nobis investiganda

est. Multi quidem viri docti nullas structuras Graecanicas vocandas esse censent nisi eas, quae linguae Latinae violenter vim adhibeant et ei aliquid peregrini inferant. Quod attinet ad huiusmodi figuras, haud magno successu cum aliorum scriptorum tum Vergilii genus dicendi perscrutaberis. Ubi enim usum tam audacem et tam alienum a consuetudine vernacula invenias, quin sive analogia sive simili ratione psychologice e lingua Latina explicari possit? Ratione autem linguae psychologice explicandae, quae iam apud Guilelmum de Humboldt (Über die Verschiedenheiten des menschlichen Sprachbaus und ihren Einfluß auf die Entwickelung des Menschengeschlechtes 1836, iterum ed. A. F. Pott, Berl. 1875) obvia Ziemeri libro illo 'Junggrammatische Streifzüge' 1882 et Hermanni Paul 'Prinzipien der Sprachgeschichte' (Halle 1880, [4] 1909) invaluit, viri docti, quos supra graecismorum adversarios nominavimus, qui iisdem fere annis libellos conscripserunt, commoti sunt, ut aut omnino aut magna ex parte graecismi notionem refutarent. [1])

Inepte vero omnino graecismos esse negatur. Nam sunt quidam graecismi in sermone Latino, quos Leo 'leves' vocat. Quid mirum? Litterarum Latinarum natura origoque et omnis Romanorum eruditio, praecipue autem artis rhetoricae studium effecit, ut scriptores non solum structuras cum consuetudine Romana congruentes in suum sermonem reciperent, sed etiam novas verborum conformationes admitterent, quibus Latinae linguae ingenium non immutatum, sed auctum et corroboratum est. [2]) Quod etiam Quintilianus testatur (Inst. or. IX 3, 17) his verbis: 'ex Graeco vero translata vel Sallusti plurima, quale est: + *vulgus amat fieri,* [3]) vel Horati, nam id maxime probat: *nec ciceris nec longae invidit avenae* (Sat. II 6, 83) vel Vergili: *Tyrrhenum navigat aequor*' (Aen. I 67). [4]) Quo factum est, ut scriptores

[1]) Eidem rationi Schaeflerus (Die sog. syntaktischen Graezismen bei den august. Dichtern, Progr. Amberg 1884.) interdum nimium indulsit.

[2]) Recte Krollius de his rebus iudicat: Die Altertumswissensch. im letzten Vierteljahrhundert, Leipzig 1905 p. 349; Neue Jahrb. 1903 p. 26 adn., ibid. 1910 p. 318 sqq. Item J. v. Geisau, De Apulei syntaxi poetica et Graecanica, Diss. Monast. 1912 p. 10 sqq.

[3]) cf. Iug. 34 'quae ira amat fieri'.

[4]) Quibuscum locis vere Graecanicis conferas Herod. III 82 *ἐν ὀλιγαρχίῃ . . . ἔχθεα ἴδια ἰσχυρὰ φιλέει ἐγγίγνεσθαι;* Kuehner-Gerth,

Latini et structuras sermone patrio haudquaquam violato ad verbum e Graeco verterent, neque vererentur figuras componere, quae admodum Graecarum similes sunt quarumque ingenium peregrinum primo aspectu patet. An structuram Vergilianam Aen. V 262 '(loricam) donat habere viro decus et tutamen in armis', quam poeta primus adhibuit,[1]) sine auxilio loci Homerici Il. O 532 (*θώρηκα*) *ξεῖνος γάρ οἱ ἔδωκεν ἄναξ ἀνδρῶν Εὐφήτης / ἐς πόλεμον φορέειν δηίων ἀνδρῶν ἀλεωρήν* ortam esse censes? Eae igitur figurae nostra quidem sententia graecismi vocandae sunt, quae paulum alienae a vulgari usu Latino simili exemplari Graeco tam arte cum sermone Graeco coniunctae sunt, ut eius auxilio sine dubio aliquid debeant, licet ex ipso linguae Latinae ingenio nasci potuerint.[2]) Qua de causa in his rebus iudicandis id praecipue agitur, ut quaeramus, uter sermo praevaluerit, et ut investigemus — quantum fieri potest, — quid consuetudini Latinae adscribendum sit, quid linguae Graecae debeatur.

Quae dum diiudicare studemus, ita plerumque rem instituimus, ut primum in communem Graecorum usum, deinde in consuetudinem Latinam, quae fuisset usque ad Vergilii aetatem, inquireremus. Tum exempla Graeca, quae poeta imitatus esse videtur, ad locos Vergilianos attulimus. Qua in collatione hi praecipue libri usui nobis fuerunt:

P. Richter, De Vergilio imitatore poetarum Graecorum Diss. Hal. Sax. 1870; A. Knoche, Vergilius quae exempla Graeca secutus sit in Georgicis Diss. Lipsiae 1877; H. Morsch, De Graecis auctoribus in Georgicis a Vergilio expressis Diss. Hal. Sax. 1878; C. Conrardy, De Vergilio Apollonii Rhodii imitatore Diss. Monast. 1904; F. Ruetten De Vergilii studiis Apollonianis Diss. Monast. 1912; A. Cartault, Étude sur les bucoliques de Virgile Paris 1897;

Ausf. Gramm. der griech. Sprache II 1 p. 162, Hannover-Leipzig 1898; Fighiera, La Lingua e la Grammatica di C. Crispo Sallustio, Savona 1896 p. 200; Od. ζ 68 *οὔτε τοι ἡμιόνων φθονέω,* Kuehner-Gerth II 1 p. 390; denique autem infra p. 21 sqq., quae de usu Vergiliano proferemus.

[1]) cf. p. 63 sq.

[2]) cf. etiam quae Golenski (De infinitivi apud poetas Latinos usu Regim. 1864 p. 44) de graecismorum natura dicit: 'graecismus, si quid video, est dictio sermonis Latini ad normam linguae Graecae adsimilata, sed ita ut ex linguae Latinae legibus optime explicari possit, etsi usus non obtineat'.

P. Jahn, Die Art der Abhängigkeit Vergils von Theocrit Progr. Berl. I 1897, II 1898, III 1899;[1]) id., Eine Prosaquelle Vergils und ihre Umsetzung in Poesie durch den Dichter, Hermes 1903, p. 244; id., Die Quellen und Muster des ersten Buches der Georg. Vergils, Rh. Mus. 58 (1903), p. 391; id., Aus Vergils Dichterwerkstätte Philol. 63 (1904), p. 66, item Rh. Mus. 60 (1905), p. 361 et Progr. Berl. 1905;[2]) Th. Ladewig-C. Schaper-P. Deuticke, Vergils Gedichte: I (Buc. et Georg.) Berl. 1907, II (Aen. I—VI) Berl. 1912, III (Aen. VII—XII) Berl. 1904; Brenous;[3]) Schaefler.[4]) Postremum autem plerisque locis inquisivimus, quid Servius de his rebus censeat, et quatenus ars metrica vel similes rationes poetam ad novum usum duxerint adiecimus.

Hoc libello nominis substantivi et verbalis usum perscrutandum nobis proposuimus; ac primum quidem tractabimus casuum syntaxin, deinde infinitivum et participium,[5]) denique autem disseremus de numero et genere non congruentibus.

Quod attinet ad Vergilii quae Catalepton vocantur carmina, Th. Birtium (Jugendverse und Heimatpoesie Vergils, Leipzig 1910) secuti nonum, quintum decimum, sextum decimum neglecimus.

§ 1. De nominativi et vocativi usu.

Brugmann-Delbrueck, Vergl. Gramm. der indogerm. Sprachen III Straßburg 1893, p. 393 sqq.

J. H. Schmalz, Lat. Syntax[4] 1910, p. 347, 349 = J. v. Müller, Handbuch der klass. Altertumswissenschaft II 2.

Kuehner-Stegmann, Ausf. Gramm. der lat. Spr. II 1[2] Hannover 1912, p. 255 sq.

C. F. W. Müller, Syntax des Nom. u. Acc. Leipzig-Berlin 1908, p. 1 sqq.

Kuehner-Gerth, Ausf. griech. Gramm. II 1 Hannover-Leipzig 1898, p. 44 sqq.

---

[1]) Quos libellos hac ratione significare solemus: Jahn I, II, III.

[2]) Jahn IV. — [3]) cf. p. 7. — [4]) cf. p. 8.

[5]) Supinum et gerundivum praetermisimus, cum linguam Graecam verbi formam supini similem non habere haud ignotum sit, gerundium autem adiectivorum verbalium in -τός et -τέος cadentium usu raro auctum et adiutum non sit.

Antoine, De casuum syntaxi Vergiliana Paris 1882, p. 28 sqq.
Brenous, p. 83 sqq.
Schaefler, p. 55 sqq.[1])
Skutsch, Arch. f. l. Lex. XV (1908) 41 sqq.

Nominativi et vocativi poetarum Latinorum usum illum, quo praeter consuetudinem alter casus alterius locum occupat, et priorum temporum et huius aetatis nonnulli viri docti[2]) graecismum vocaverunt. Agitur de huiusce generis locis: Aen. VI 835 'proice tela manu sanguis meus', ubi nominativus vocativi loco, quem exspectes, est, aut Aen. II 283 'quibus Hector ab oris / exspectate venis', ubi vocativus nominativi locum tenet. Quod attinet ad usum priorem, Priscianus (Inst. XVII 207; Keil, Gramm. Lat. III, p. 207) ad Aen. VIII 77 haec adnotat: 'nec mirum, cum etiam nomina pleraque apud Latinos, ut diximus, eosdem habent nominativos et vocativos. Atticis quoque mos est nominativos pro vocativis proferre. Homerus (Il. Γ 277) Ἠέλιός θ' ὃς πάντ' ἐφορᾷς καὶ πάντ' ἐπακούεις, quem secutus Virgilius in VIII (v. 77.) '*Corniger Hesperidum fluvius, regnator aquarum*' '*fluvius*' pro '*fluvie*' dixit'. Ac revera nominativi et vocativi usus mutuus inde ab Homeri aetate interdum apud Graecos poetas, raro autem apud prosae orationis scriptores invenitur. Homerus imprimis nominativum φίλος pro vocativo adhibuit, ut Od. ρ 415 δὸς φίλος.[3]) Praecipue autem cum allocutio allocutionem sequebatur, Graeci alteram nominativo alteram vocativo proferre solebant, ut Homerus loco illo, quem Priscianus affert: Il. Γ 277 Ζεῦ πάτερ . . . ἠέλιός θ' . . . ὑμεῖς μάρτυροι ἔστε, et Aristophanes Equ. 273 ὦ πόλις καὶ δῆμε[4]). Cum attributum ad vocativum accedebat, non raro aut attributum aut nomen ipsum nominativo pronuntiabant, ut Eur. Andr. 348 ὦ τλήμων ἀνερ aut Soph. Ai. 923 ὦ δύσμορ' Αἴας. Denique interdum pro nominativo nominis, quod ad praedicatum

[1]) Petersson et Uddgren, Syntaxis Vergiliana (Upsala 1853) mihi non suppetivit, cum e bibliothecis hunc librum habere non possem.

[2]) Vechner p. 240, Antoine p. 31, Kuehner-Gerth p. 50.

[3]) cf. Kuehner-Gerth II 1 p. 48.

[4]) cf. K. Brugmann-A. Thumb, Griech. Gramm. Muenchen 1913 p. 431 (= J. v. Mueller Handb. der klass. Altertumswissenschaft II 1) et Delbrueckium (Brugmann-Delbrueck III p. 396), qui huius usus originem explicare studet.

referendum est, per attractionem vocativum posuerunt, ut Theocr. Id. XVII 66 ὄλβιε κοῦρε γένοιο.

Iam vero perquiramus usum Latinum. Romanis vocativi insoliti exemplum clarissimum formula illa 'macte virtute esto' (Aen. IX 641), cuius originem Latinam R. Wuensch (Rhein. Mus. 69 (1914), p. 127 sqq.) explicavit, praesto fuit. Quae verba sacra sine dubio ad vocativi usum insolitum maximi momenti fuerunt, ut scriptoribus Latinis ad similes structuras fingendas sermone Graeco opus haud esset. In allocutionibus antiqui poetae non raro nominativum cum vocativo commutabant, ut Plaut. Cas. 137 'meus festus dies / meus pullus passer, mea columba, mi lepus'. Quo loco nominativus re vera pro vocativo adhibetur et allocutionem significat, cum aliis, ut Asin. 691 'mi Libane, ocellus aureus, donum decusque amoris' et Poen. 366 'meus ocellus', nominativus appositionis notionem habeat. [1])

Eiusdem naturae atque usus Plautinus hi loci Vergiliani sunt: Buc. VII 46 'muscosi fontes et somno mollior herba / et quae vos rara viridis tegit arbutus umbra / solstitium pecori defendite' et Aen. VI 835 et Aen. VIII 77 [2]) et Aen. XI 464 'equitem Messapus in armis / et cum fratre Coras latis diffundite campis', ubi poeta nominativum pro vocativo scripsit, et aperta appositionis significatione Aen. I 664 'nate, meae vires, mea magna potentia solus.' Contra pro nominativo ad praedicatum referendo ut formula illa sacra 'macte virtute esto' vocativum adhibuit his locis: Aen. II 283 'quibus Hector ab oris / exspectate venis', [3]) Aen. X 327 'tu quoque . . . Cydon, Dardania stratus dextra, securus amorum / . . . miserande iaceres'. Simili modo explicari possunt: Aen. VII 425 'i nunc ingratiis offer te inrise periclis', Aen. X 811 'quo moriture ruis', Aen. XI 856 'huc dirige gressum / huc periture veni', Aen. XII 947 'tune hinc spoliis indute meorum / eripiare mihi', quamquam vocativus etiam attributum subiecti omissi haberi potest.

Vergilius igitur fines consuetudinis Latinae a maioribus acceptae nequaquam transgressus est, ut Prisciani sententiam, qui Vergilium Homerum imitandum sibi proposuisse iudicare videtur, nostro iure

---

[1]) cf. C. F. W. Mueller p. 2. — [2]) v. p. 11.

[3]) Serv.: 'antiptosis est pro exspectatus'.

in dubitationem vocare possimus, praesertim cum poeta neque iisdem vocibus usus sit atque Homerus neque sententiam Homericam Latine verterit. Praeterea versus Homericus a grammatico illo allatus, ubi vocativus particula cum nominativo coniunctus est (*Ζεῦ πάτερ . . . ἠέλιός τε*), structura ab exemplo Vergiliano (Aen. VIII 77) differt. Priore autem loco: VII 22 (Keil II 305), ad eundem Aeneidos versum Priscianus haec tantum adnotat: 'est quando nominativo quoque in 'us' terminante pro vocativo sive metri sive euphoniae causa utuntur', quae mihi quidem verius dicta videntur quam quae de Homero Vergilii exemplari profert. Eodem spectat, quod Servius nusquam nominativi et vocativi usum mutuum Graecanicum vocat. Immo ad Aen. VIII 77 haec adnotat: 'fluvius vero vocativus antiquus est, qui apud maiores in omni forma similis erat nominativo . . . plerumque . . . poetae euphoniae causa antiquitatem sequuntur.' Insolitam igitur structuram studio imitandi scriptores antiquos tribuit, ac re vera Vergilium sermonem traditum secutum esse modo demonstravimus. Quodsi et Priscianus et Servius metri necessitudinem duram et euphoniam huiusmodi structuris favisse affirmant, hae ipsae causae sine dubio poetam ad nominativi aut vocativi usum insolitum adduxerunt. Servius ipse ad Aen. XI 464 adnotat: 'Messapus autem, ut diceret, vitavit *ὁμοιοτέλευτον*, nam vitiosum erat *Voluse, edice, Messape*.' Voces 'miserandus' (Aen. X 327), 'exspectatus' (Aen. II 283), 'moriturus' (Aen. X 811), 'periturus' (Aen. XI 856), 'indutus' (Aen. XII 947) metro dactylico nisi ante vocabulum a vocali incipiens inseri non possunt, quod illis locis haud facile se obtulit, cum vocativi formae ante vocabulum a consona incipiens hexametro aptissimae sint.[1]) Vocativus autem 'fluvie'[2]) (Aen. VIII 77) a metro dactylico omnino abhorret. Quas rationes metricas, quamquam poetam coegisse non iudicamus, tamen usum mutuum illorum casuum admodum adiuvisse vix quisquam negabit. Uno autem loco (Buc. VII 46) poeta nominativum pro vocativo usurpatum, ut structuram insolitam leniret, propositioni relativae inseruit.

[1]) v. etiam Koene, Die Sprache der röm. Epiker. Münster 1840 p. 31.
[2]) cf. Serv. ad Aen. VIII 77.

§ 2. De accusativi usu.

Brugmann-Delbrueck III p. 360 sqq.
Schmalz p. 353.
Kuehner-Stegmann II 1 p. 257 sqq.
C. F. W. Mueller p. 4 sqq.
Kuehner-Gerth II 1 p. 293 sqq.
Antoine p. 35 sqq.
Brenous p. 209 sqq.
Schaefler p. 8 sqq.
Piger l. l.[1])

A. De accusativo q. d. Graeco.

Landgraf, Der Acc. der Beziehung, (Arch. f. lat. Lex. X 1898 p. 209 sqq.)
[Schroeter, Engelhardt cf. Landgr. p. 215.]

Structura Latina accusativi determinationis, qui verbis passivis et adiectivis subiungitur, secundum omnium fere huius aetatis virorum doctorum sententiam magna ex parte e sermone Graeco originem duxisse dicitur, ut iure quodam accusativus Graecus vocetur. Namque apud scriptores Graecos inde ab Homeri aetate per omnia tempora hic usus antiquus et a maioribus acceptus[2]) late patet, ut posteriorum temporum scriptores ad hanc structuram vix quicquam novi attulerint. Qua de causa nonnulla exempla afferre satis est, quibus singula consuetudinis genera illustrentur. Delbrueckius (p. 390) quidem, cuius sententiam sequimur, accusativi determinationis usum apud Graecos ea ratione ortum atque progressum esse censet, ut primo aut vocum *ὄνομα, γένος, γενέη* accusativus substantivis adiunctus sit, quorum nominis proprii notionem praedicaret, velut Il. *Ψ* 470 *δοκέει δέ μοι ἔμμεναι ἀνὴρ / Αἰτωλὸς γενέην*, aut accusativus adiectivis additus sit, ut significaret, quatenus adiectivum ad substantivum referendum esset, velut Od. *η* 57 *γυναικῶν εἶδος ἀρίστη*. Deinde structuram quae *καθ᾽ ὅλον καὶ κατὰ μέρος* vocatur, in passivum translatam esse. Hoc modo ex activa sententia *βάλλω σε κενεῶνα* ortum esse Il. *E* 284 *βέβληαι κενεῶνα διαμπερές* vel e *βάλλω σε ἦτορ* sententiam passivam Il. *I* 9 *ἄχεϊ μεγάλῳ βεβολημένος ἦτορ*.

---

[1]) cf. p. 7. — [2]) cf. Brugmann-Delbrueck III p. 387.

Sed cum Graeci inde ab antiquissimis temporibus accusativum determinationis vel adiectivis adiungere solerent, apud Romanos vetustissima exempla eum solis participiis perfecti passivi vel medii generis additum habent, ut Enn. Ann. 311 (Vahlen) 'perculsi pectora Poeni' et Ann. 400 'succincti corda machaeris.' [1]) Quae figurae ut admodum Graece dictae videntur, ita e consuetudine vernacula originem ducunt. Latinae enim linguae deerat verbi genus et praecipue participium medium poetis tantopere exoptatum. Cuius locum adiectiva verbalia in -tus exeuntia occupaverant. [2]) Erant autem verba reflexivae notionis, quae eadem transitive ad obiectum referebantur. His verbis accusativus obiecti applicari solebat: et formis finitis, ut 'induor vestem', et participiis, ut Plaut. Epid. 223 'quid erat induta? an regillam induculam an mendiculam' et Turpil. com. 74 (Ribb.)[3]) Ut in his exemplis verbo accusativus vestimenti adiunctus est, ita aliis pars corporis vel similis res accusativo obiecti expressa verbo reflexivae significationis addita est, ut 'velor caput' et 'caput velatus.' Hac ratione intra linguam Latinam ipsam orta est consuetudo accusativi vere Graeci simillima. Qua cum structura nata ex ingenio sermonis Latini mixtus est usus Graecus accusativi determinationis verbis vere passivis et adiectivis subiuncti. Iam antiquis Latinitatis temporibus inveniuntur exempla, quibus verbum notionis passivae hoc modo usurpatum est, ut altero loco Enniano (Ann. 311), qui primum accusativi Graeci exemplum habet. Primam verbi finiti formam Sallustius Hist. III fr. 24 (Maurenbrecher) 'dedecores inultique terga caedebantur' cum accusativo Graeco coniunxit, cum plerumque participia perfecti eadem ratione usurpata sint.

Tamen accusativus Graecus usque ad Vergilii aetatem in iis quae exstant litterarum monumentis insolitus est. Praeter locos laudatos pauci inveniuntur. [4]) Lucretius bis (I 13 et 261 Munro)

---

[1]) Quamquam Haaseus (Vorles. II 64, 1), quem C. F. W. Mueller (p. 128) sequi videtur, haec fragmenta e verborum contextu soluta atque eruta nihil pro certo probare iudicat, tamen Servio fidem habendam esse censemus, qui ad Aen. IX 675 alterum locum Ennianum (Ann. 400) affert, ut Aemilii Asperi verba 'ferrea corda habentes' interpretetur.

[2]) Quibus de rebus uberrime disseruit K. Brugmann J. F. V p. 89 sqq.

[3]) C. F. W. Mueller p. 128.

[4]) C. F. W. Mueller p. 128 sqq., Landgraf l. l., Kuehner-Stegmann II 1 p. 287 sqq.

accusativum determinationis participiis subiunxit. Catullum eidem non indulsisse nisi in carmine illo sexagesimo sexto, quod Alexandrinum poema imitari haud ignotum est, Landgrafius suo iure monet (p. 221).

Rarius etiam quam apud poetas in simplici oratione prosa accusativus determinationis obvius fit. Praeter Sallustium, cuius exemplum unicum modo attulimus, auctor belli Africi bis figuram adhibuit (78, 10 et 85, 8). Optimi autem prosae dictionis scriptores, Cicero et Caesar, verbis passivis et adiectivis accusativum adiungere noluerunt et figuram illam καθ' ὅλον καὶ κατὰ μέρος a sollemni atque usitato genere dicendi Latino omnino procul habuerunt. Ita Caesarem B. G. V 35, 6 'Balventio utrumque femur tragula traicitur' eam effugere studuisse apparet.

Vergilius primus sine dubio Graeco more usus[1]) habet Aen. X 698 'Latagum occupat os faciemque inversam', ubi Servius recte adnotat: 'et est Graeca figura in Homero frequens, ut si dicas ἔκρουσεν Ἀχιλλέα τὸν πόδα.'[2]) Vergilium igitur accusativus determinationis apud Homerum frequentissime usurpatus commovisse videtur, ut sermoni Latino hanc licentiam insereret. Et ea uberrime usus est. Octoginta duobus locis participio perfecti sive mediae sive passivae notionis accusativum addidit, ut Aen. II 221 'perfusus sanie vittas', septendecim locis aut verbi formis finitis aut infinitivo, ut Aen. I 713 'expleri mentem nequit', viginti tribus denique locis adiectivis vel participiis praesentis verborum quae

---

[1]) C. F. W. Mueller p. 131. Qui vir doctus duos locos Plautinos eiusdem generis exempla antevergiliana affert: Rud. 1346 'te . . . / Venus eradicet caput atque aetatem tuam' et Men. 858 'hunc senem / osse fini dedolabo assulatim viscera'. Sed incertum est, nonne poeta figuram illam καθ' ὅλον καὶ κατὰ μέρος senserit. Exempla non tam linguae Graecae quam Latinae dictioni attribuenda esse equidem censeo. Poeta enim alterum accusativum velut alteram sententiam adiecit, ut obiectum ('te' et 'senem') accurate notaret, quod pronomen possessivum ('tuam') altero loco iuxta obiectum 'te' positum comprobat. Accedit quod utroque loco homines animo vehementer commoti loquuntur. Sane quam facile figura illa καθ' ὅλον καὶ κατὰ μέρος oriri potuerit exempla Plautina manifesto docent.

[2]) Aliter autem hic locus explicandus est: Aen. XII 275 sq. 'iuvenem . . . transadigit costas'. Quae structura ex analogia similis usus Latini nata est, quo optimi orationis solutae scriptores verbis transitivis cum praepositione 'trans' compositis duo accusativos addere solebant, ut Caes. B. C. I 54, 3 'milites navibus flumen transportat' (cf. C. F. W. Mueller p. 143).

vocantur intransitivorum, ut Aen. VI 243 'nigrantis terga iuvencos / constituit' vel Aen. I 589 'os humerosque deo similis.' Quibus exemplis adnumeranda sunt tria, ubi poeta adiectivis aut similibus vocibus accusativum 'genus' adiunxit.[1]) Hunc tam largum usum pro priorum scriptorum, qui quidem traditi sunt, moderatione e sermonis Latini ingenio solo ortum esse vix quisquam serio iudicet. Et vel ea de causa Vergilium consuetudinis auctorem ducemus, qui exempla Graeca secutus sit, quod e progressu et fatis accusativi determinationis Latini manifesto elucet eum peregrinis exemplaribus corroboratum atque auctum esse.

---

[1]) Hi sunt loci: participiorum perfecti Buc. I 54, III 106, VI 14, 53, 68, 75, VII 32, Georg. I 349, III 21, 307, IV 13, 15, 337, 357, 482, Aen. I 228, 320, 481, 561, 579, 658, II 57, 210, 218, 221, 273, 275, 629, III 47, 65, 81, 428, IV 137, 216, 395, 509, 518, 589, 590, 644, 659, V 135, 269, 511, 608, 774, 869. VI 156, 281, VII 75, 503, 667, 669, 796, 806, VIII 29, 286, 662, IX 337, 478, 543, 582, X 133, 157, 838, XI 35, 480, 487, 507, 596, 649, 777, 877, XII 65, 120, 160, 172, 224, 416, 468, 599, 605; formarum finitarum aut infinitivi Georg. III 84, 383, Aen. I 713, II 392, 510, 721, III 405, 545, IV 493, V 309, 720, VI 470, VII 74, 639, VIII 265, 457, X 698; adiectivorum vel participiorum praesentis Georg. II 131, III 58, 421, 427, IV 99, 181, 371, Aen. I 589, II 381, IV 558, V 97, VI 243, 495, VII 60, VIII 425, IX 596, 650, 678, X 324, 869, XI 489, XII 5, 652, ad quos haec tria exempla: Aen. V 285, VIII 114, XII 25 accedunt. In carminibus Catalepton Vergilius accusativum determinationis nondum usurpavit. Prima exempla in Bucolicis obvia fiunt, sed his omnibus locis accusativus participio perfecti subiunctus est. Georgica septendecim exempla praebent, in quibus primum adiectiva et formas finitas hac ratione usurpatas. In Aeneide denique structura centies invenitur.

Non adnumeravimus duos locos dubios Aen. I 320 'nuda genu', ubi vox 'genu' et accusativus et ablativus duci potest, et Aen. VIII 660 (de Gallis) 'aurea caesaries ollis atque aurea vestis / virgatis lucent sagulis, tum lactea colla / auro innectuntur', ubi dubium est, vox 'colla' utrum subiectum an accusativus Graecus vocanda sit. Item omisimus haec tria exempla: Georg. II 425 'nutritor olivam', ubi poeta, si Servium sequimur, 'nutrior' pro 'nutrio' posuit, deinde Buc. VIII 4 'et mutata suos requierunt flumina cursus', quo loco Forbigeri (P. Vergilii Maronis opera Lpzg. 1872) sententiae assentimur, qui requiescendi vocabulum transitiva significatione accipiendum esse censet, quod iudicium fulcitur a Servio, cum Calvi Ius versum 'sol quoque perpetuos meminit requiescere cursus' affert. Denique vero Georg. III 499 'victor equos fontes avertitur', quae figura metricae artis necessitate dura secundum consuetudinem tritam 'aversor aliquem' aut 'aliquid', qualis invenitur Sall. Hist. V fr. 16 'regem aversabatur' ficta est.

At iam videamus, quid veteres de accusativo Graeco iudicaverint. Quintilianus (Inst. IX 3, 17) structuram 'saucius pectus' (Aen. XII 5) e Graeco translatam vocat. Eorum autem, quae Servius adnotat, pauca tantum ad hanc rem spectant. Nonnullis locis, quibus Vergilius participio perfecti accusativum Graecum adiunxit, haec verba facit: 'nota' aut 'solita figura est' (Aen. I 579, 658, II 629), cum ad Aen. V 720[1]) adnotet: '*animum diducitur* Graeca figura ut *mentem laesus*' (item ad Aen. I 713 et X 698). Horum igitur grammaticorum iudicium minus acriter descriptum est, quam ut ad hanc quaestionem magni momenti esse possit. Sane eos quoque sensisse accusativo determinativo inesse aliquid peregrini probat. Exempla autem ipsa demonstrant, quo pacto Vergilius structura usus sit. — Ut supra (p. 15) monuimus, cum accusativus verbis mediae notionis pro obiecto subiunctus est, ut Aen. II 510 '(arma senior) circumdat . . . umeris et inutile ferrum cingitur', usus a vulgari consuetudine Latina omnino non abhorret. Huiusce igitur generis locos sine dubio proprie Latinos vocari licet. Multis autem, praecipue iis, quibus participium perfecti usurpatur, quae sit accusativi natura et quod fuerit poetae consilium non intellegitur, quoniam plerumque, utrum in verbo insit passiva an media notio, non diiudicari neque usus Latinus a consuetudine Graeca acriter seiungi potest.[2]) Sunt autem loci, quibus exstant exempla Graeca, quae Vergilius imitatus est, et iis ipsis, qua ratione poeta usum peregrinum secutus sit, demonstrare possumus. Profecto enim eum nonnullis 'figuris' — ut Servii voce utar — Homeri sermonem epicum vertere studuisse ex his locis cognoscas: Aen. XI 596 'nigro circumdata turbine corpus', Il. *E* 186 *νεφέλῃ εἰλυμένω ὤμους*[3]), Aen. I 713 'expleri mentem nequit' Il. *P* 499 *πλῆτο φρένας*, et praecipue ex adiectivis cum accusativo Graeco coniunctis, ut Aen. I 589 'os humerosque deo similis' vel Aen. IX 650 'ibat Apollo / omnia longaevo similis vocemque coloremque', quibuscum conferas Il. *B* 478 *ὄμματα καὶ κεφαλὴν ἴκελος Διὶ τερπικεραύνῳ* vel *P* 322 *ἀλλ' αὐτὸς Ἀπόλλων / Αἰνείαν ὤτρυνε δέμας Περίφαντι ἐοικώς*. Item haec tria exempla: Aen. V 285

[1]) Quem locum: 'in curas animum diducitur omnis' adiecimus, ut Servii adnotatio addi posset, cum Ribbeckius (P. Verg. Mar. opera rec. Ribb., Lipsiae) Deuticke alii cum codicibus MPR legant 'animo'.

[2]) Landgraf p. 219. — [3]) v. Brenous p. 253 adn. 2 et p. 261.

'Cressa genus', VIII 114 'qui genus', XII 25 'nec genus indecores' ad Homeri sermonem γένος δ' ἦν ἐκ ποταμοῖο / Ἀλφειοῦ (Il. *E* 544) spectant. Sed utrum Vergilius has figuras secundum ipsum Homeri exemplar adhibuerit an per Ennium acceperit, pro paucis quae exstant fragmentis Ennianis diiudicari omnino non potest. At iam illum poetam Romanum saepe accusativi Graeci usui indulsisse probabile est, quippe qui non veritus sit verbo notionis vere passivae eum applicare.[1]) Certe accusativi determinationis Vergilianus usus largus et Ennii et Homeri sermone fulcitur.[2]) — Aperte autem imitandi ratio hoc loco perspici potest: Georg. III 84 'tremit artus', ubi accusativus verbo intransitivo subiunctus est. Lucretius enim, e quo (III 489) figura Vergiliana pendet,[3]) structuram sine dubio e Graeco vertit, cuius sermonis Brenousius (p. 212) recte affert exemplum Euripideum τρέμουσα κῶλα (Med. 1169). — Item ut verbis passivae notionis poeta Graecis exemplaribus commotus etiam verbis mediae significationis accusativum applicavit, quod versus Apollonii Rhodii (Argon. IV 27 sq.) χερσί τε μακρὸν / ῥηξαμένη πλόκαμον probat, quem Vergilius Aen. IV 590 vertit 'flaventisque abscissa comas.' Interdum autem Vergilius exemplaribus Graecis in servitutem se non addixisse demonstrat, cum aut accusativi Graeci usum vitavit, ubi exemplum Graecum eum habet, aut eum adhibuit, ubi apud scriptorem Graecum non invenitur. Figuram enim illam καθ' ὅλον καὶ κατὰ μέρος effugit, cum Aen. I 502 finxit 'Latonae tacitum pertemptant gaudia pectus', ne in exempli Graeci, quod ipse in reliquis secutus est, structuram (Od. ζ 106) γέγηθε δέ τε φρένα Λητώ incideret. Simili ratione in sacrorum descriptionibus Aen. V 97 et Aen. VI 243, quibus Homerum imitandum sibi proposuit[4]), voces 'nigrantis terga iuvencos' de suo finxit, quoniam Homerus hostiis attributa παμμέλας (Od. κ 525) vel μέλας (ibid. 527) applicavit. Item Aen. II 629 '(ornus) tremefacta comam concusso vertice nutat' Vergilius accusativi usum proprio Marte adiecit, cum locis Graecis: Il.

---

[1]) cf. p. 15.

[2]) cf. quae Nordenus (P. Verg. M. Aen. Buch VI, Sammlung wissensch. Komm., Leipzig 1903) p. 359 sqq. de Vergilio Ennii imitatore profert.

[3]) Et apud Lucretium et apud Vergilium voces 'et tremit artus' eadem versus sede — hexametro exeunte — positae sunt, ut dubium non sit, quin Vergilius hanc verborum conformationem Lucretio debeat.

[4]) cf. Od. κ 516—529 et λ 23—50.

Δ 482, *Ν* 389, *Π* 482, Apollon. Arg. IV 1682 nihil eiusmodi inveniatur. Georg. IV 337 'caesariem effusae nitidam per candida colla' accusativi usu attributum Homericum ἐυπλόκαμος (*Σ* 48, quo e libro totus locus depromptus est) Theocriti verbis usus (Id. V 91 sq.) λιπαρὰ δὲ παρ' αὐχένα σείετ' ἔθειρα vertit.[1]) Sed in neutro exemplo Graeco accusativus est. Item res comparata est Buc. VII 32 'puniceo stabis suras evincta cothurno', qui versus ad Theocr. Id. X 35 (ἔχων) καινὰς ἐπ' ἀμφοτέροισιν ἀμύκλας et ad Livii Andronici versum (Ino 5 Ribb. p. 4) 'sed iam purpureo suras include cothurno'[2]) referendus est. Adiectivum Homericum — κορυθαίολος — simili ratione atque Georg. IV 337 (cf. supra) poeta Aen. IX 678 'cristis capita alta corusci' vertere studuit, neque vero similes versus Homerici Il. *Μ* 127—136 accusativum Graecum praebent. Licet ea quoque afferre, quae Ruettenus (p. 36) ad Aen. I 561 adnotat, verba 'breviter Dido voltum demissa profatur' convenire cum eo loco, quem Vergilius toto hoc argumento sequatur, Apollon. Arg. III 422 (de Aenea) ὁ δὲ σῖγα ποδῶν πάρος ὄμματα πήξας / ἧστ' αὔτως ἄφθογγος. Vel hoc loco Vergilius accusativum de suo addidit. Neque Georg. III 421 'sibila colla tumentem' fingens in Nicandri versu (Θηρ. 179) ψαφαρὸς δ' ἀναπίμπραται αὐχὴν / ἄκριτα ποιφύσσοντος[3]) accusativum invenit. Quibus exemplis Servii iudicium probatur, qui usum, de quo agitur, 'solitam' vel 'notam figuram' vocat. Nam Vergilius structura adeo delectabatur, ut eam versibus, imprimis iis, quibus Homeri vel Ennii[4]) genus dicendi imitatur, crebro insereret — etiamsi exempla Graeca eam non praebuerunt — sine dubio eo consilio, ut suo sermoni Homeri vel Enni ingenium epicum imprimeret.

Sane euphonia et metricae artis necessitas admodum dura hunc usum adiuverunt, ne dicam: omnino pepererunt. Primis enim exemplis — dico Bucolicorum locos — poeta accusativum adhibuit, ut complurium nominum casus obliquos, praecipue ablativum — qui sexaginta quinque fere locis praeter accusativum scriptus est — vitaret, ne nominum eodem casu prolatorum numerus nimium cresceret; ita Buc. VI 75 'candida succinctam latrantibus inguina

---

[1]) cf. Morsch p. 79. — [2]) Jahn III p. 12.

[3]) Knoche p. 42. — [4]) v. p. 19.

monstris' et VI 68 '(pastor) floribus atque apio crinis ornatus amaro',[1]) cum Buc. III 106 'dic quibus in terris inscripti nomina regum / nascantur flores' sine dubio formam 'nominibus' metro dactylico incommodam, quae apud eum nusquam invenitur, effugere studeret. Simile quiddam e Georgicon et Aeneidos exemplis cognosci potest, velut Aen. IX 679 'capita alta corusci' et 596 'tumidus praecordia', ubi vocum ablativum ('capitibus' et 'praecordiis') metro repugnantem evitavit.

Sed longum est omnia fusius enarrare. Iis, quae e Bucolicis attulimus, exemplis manifesto, quantum ars metrica et sermonis expoliendi studium valuerint, probatur. Brevi autem accusativi Graeci usus adeo adolevit, ut Vergilius eo velut figura solita uteretur, quod e versibus ad verbum paene iteratis Georg. III 421 'tollentemque minas et sibila colla tumentem' et Aen. II 381 'attollentem iras et caerula colla tumentem' cognoscas. Idem inde elucet, quod accusativus Graecus haud raro duobus vel pluribus versibus sive inter se excipientibus sive paucis interiectis invenitur, velut Aen. XI 480 sqq. '(virgo) oculos deiecta decoros . . . (Turnus) rutilum thoraca indutus (487) . . . tempora nudus adhuc' (489).[2])

B. De accusativo verbis intransitivis subiuncto.

E verbis intransitivis primum perquiramus verba movendi cum accusativo coniuncta. Quae Brenousius (p. 212 sqq.) interdum Graeco more, qui invenitur Xen. Hellen. IV, 8,6 *πλεῖν τὴν θάλατταν*, usurpata esse censet. Re vera Vergilius primus scriptorum Latinorum hanc structuram ad frequentiorem usum admisisse videtur. Haec enim exempla praebet: Catal. XIII 2 'vectari freta', Georg. III 260 'natat freta', Aen. I 67 'gens navigat aequor', 524 'Troes . . . ventis maria omnia vecti',[3]) Aen. III 191 'vastum currimus aequor' (simili modo Aen. V 235), Aen. III 690 'errata litora.' Illa autem argumenta, quae Brenousius affert, ut Graecanicam structurae naturam probet, re vera nihil certi docent.

---

[1]) item Buc. I 54, VI 14, 53, VII 32.

[2]) cf. Georg. IV 13, 15; Aen. II 210, 218, 221; 273, 275; IV 589, 590; VII 74, 75; 667, 669; XII 599, 605.

[3]) Usum vulgarem poeta Aen. VII 228 'tot vasta per aequora vecti' secutus est.

Ciceronis enim verba (De fin. II 34, 112) 'si Xerxes cum tantis classibus tantisque equestribus et pedestribus copiis Hellesponto iuncto Athone perfosso maria ambulavisset, terram navigasset', licet e Graeco exemplo pendeant, tamen insolitam illam consuetudinem exemplo non debent, quippe quod structuram solitam exhibeat: Isocrat. Panegyr. 89 *ὥστε τῷ στρατοπέδῳ πλεῦσαι μὲν διὰ τῆς ἠπείρου, πεζεῦσαι δὲ διὰ τῆς θαλάττης τὸν μὲν Ἑλλήσποντον ζεύξας, τὸν δ' Ἄθω διορύξας.* Item alterum argumentum: quod Quintilianus (Inst. I 5, 38) consuetudinem soloecismum vocavit, nihil de graecismo probat, nam qui usus a trito dicendi genere alienus est, hac de causa Graecanicus utique ducendus non est. Maioris autem momenti primo obtutu videntur esse testimonia a Brenousio praetermissa: et Servii adnotatio (ad Aen. I 67), qui illud 'navigat aequor' figuram Graecam vocat, et Quintiliani (Inst. IX 3, 17) hoc: 'ex Graeco vere translata vel Sallusti plurima . . . vel Virgili *Tyrrhenum navigat aequor.*' At quaeramus, sitne fides habenda huic grammaticorum iudicio. Verba cum praepositione composita poeta secundum orationem tritam sine ulla offensione cum accusativo nudo coniungere potuit, ut Aen. II 295 'moenia / magna pererrato statues quae denique ponto.' Praepositionem autem nomini adiunctam poetis saepissime ingratissimam Vergilius quantum potuit evitavit, ut orationem simplicem redderet et scriptorum antiquorum sermonem imitaretur, quod e ceterorum quoque casuum usu facile cognosces. Accedit, quod analogia similium structurarum Latinarum, quales sunt 'ire iter' et 'ire viam',[1]) consuetudinis de qua agitur progressui favere potuit. Ruetten (p. 34) cum Aen. I 524 comparat Apollonii versum Argon. III 348 *πόλλ' ἐπαληθεὶς / ἄστεα καὶ πελάγη στυγεροῖς ἁλός.* Graecus autem poeta verbum compositum adhibuit. Praeterea hoc exemplum Apollonianum Vergilio non versum modo allatum, sed Aen. I 3 'multum ille et terris iactatus et alto' componenti ante oculos versatum esse probabile nobis videtur. Duae igitur sunt causae, quae insolitae consuetudinis progressum adiuverunt. Atqui cum structura a priorum scriptorum Latinorum dictione omnino fere aliena sit, vix dubitari potest, quin Vergilio morem Graecum imitanti debeatur.

---

[1]) de quibus infra p. 26 disseremus.

Simili ratione Vergilius compluribus verbis loquendi vel sonandi in prosa oratione intransitivis accusativum obiecti addidit. Quarum figurarum plurimae per analogiam consuetudinis Latinae compositae sunt. Ita verbum clamandi, quod Vergilius Aen. IV 674 '(soror) morientem nomine clamat' transitive usurpavit, iam prioribus temporibus accusativum sibi applicavisse loci Plautini Asin. 390 'ianitorem clamat' et Plaut. Boeot. frgm. 30. probant.[1]) Quare dubitare possumus, an non Apollonii verba Arg. III 673 φώνησέν μιν, quod Ruetten (p. 76) opinatur, Vergilii animo obversata sint. — Simili modo Aen. IV 510 'sacerdos ter centum tonat ore deos' ab ingenio sermonis Latini haud abhorret. Nam huic loco convenit, quod Wilamowitzius ad Eur. Heracl. 10 ἠλάλαζον αὐτὴν ὑμεναίοις adnotat: in verbo ἀλαλάζειν non inesse vim transitivam, sed ὑμεναίοις ἀλαλάζειν transitive usurpari posse, cum verbi ὑμνεῖν notionem exprimat. Item loco Vergiliano verborum iunctura 'tonat ore' verbi transitivi notionem accepit. — Audacem Brenousius (p. 215) hanc structuram vocat: Buc. I 5 'resonare doces Amaryllida silvam',[2]) ubi accusativus personae verbo subiunctus est. Sed auxilio Graeco ne ad hanc quidem figuram fingendam opus fuit, quamquam huius aetatis grammatici (Kuehner-Stegmann II 1 p. 278 alii) versum Anacreonteum (23, 4) ἁ βάρβιτος ... Ἔρωτα μοῦνον ἠχεῖ (Bergk III p. 311) adnotare solent. Nam verbum sonandi vel Cicero transitive usurpavit, ut Brut. 74, 259 'Cotta sonabat contrarium Catulo.' Item Vergilius. Quam facile autem fieri potuerit, ut accusativus personae verbo se applicaret, Aen. XII 529 '(Murranum) atavos et avorum antiqua sonantem / nomina . . . excutit' et Aen. I 328 'nec vox hominem sonat' (pro 'hominis sonitum') docent. — Structuram autem vere Graecanicam Aen. VI 517 'euantes orgia' praebet, quam Brenousius (p. 216) suo iure ad Graecum illud εὐάζω ξένα (Eur. Bacch. 1034) refert. — Aperte verbi iurandi et adiurandi usus, quo modo progressus sit, perspici potest. Unicum exemplum antevergilianum verbi iurandi praepositione omissa cum accusativo coniuncti Cicero praebet (Fam. VII 12, 2) 'Iovem lapidem iurare', quibus verbis antiquissimam formulam forensem exprimit. Servius ad Aen. XII 197

[1]) Kuehner-Stegmann II 1 p. 264.

[2]) Eadem ratione Buc. II 13 'me cum raucis . . . resonant arbusta cicadis' et Georg. III 338 'litoraque alcyonem resonant'.

'terram mare sidera iuro' adnotat: 'et ornatior elocutio et crebra apud maiores, quam si velis praepositionem addere, ut dicas *iuro per maria per terras.*' Haec igitur consuetudo, etiamsi ante Ciceronem non invenitur, antiqua vocanda est. Poetarum primus Vergilius concinnitatis studio eam adhibuit Aen. VI 324 'Cocyti stagna alta vides Stygiamque paludem / di cuius iurare timent et fallere numen' (simili ratione Aen. VI 351 et XII 197) Homeri versum libere imitatus Il. *O* 36 (Od. ε 185) ἴστω νῦν τόδε γαῖα καὶ οὐρανὸς εὐρὺς ὕπερθε / καὶ τὸ κατειβόμενον Στυγὸς ὕδωρ, ὅς τε μέγιστος / ὅρκος δεινότατός τε πέλει μακάρεσσι θεοῖσιν. Poetam autem ea de causa, quod admodum Graecae similis est,[1]) consuetudinem antiquam ad lucem rettulisse et huic ipsi versui inseruisse probabile est. Non igitur antiquum usum Latinum Vergilius ea sequi voluit, ut Servius haud perperam iudicet, cum (ad Aen. I 67) 'navigat aequor' figuram Graecam vocat et sic pergit 'similiter etiam alio loco: *terram mare sidera iuro* (Aen. XII 197), cum Latinitas exigat, ut addatur praepositio *per.*' Revera plerumque scriptores Latini structuras praepositionibus formatas adhibuerunt, ut iam Catullus (66, 40) 'adiuro teque tuumque caput' Callimachum secutus (frgm. 35 b Schneider) σήν τε κάρη ὤμοσα σόν τε βίον, dum accusativum nudum ponit, verbo praepositionem adiecit.

De aliis verbis eadem ratione usurpatis pauca nobis dicenda sunt, cum plurimae huiusmodi structurae per analogiam e consuetudine Latina ortae sint. Velut verba, quae animi affectum indicant, saepissime et in sermone cotidiano et in oratione urbana cum accusativo affectus causam significante coniungebantur, quod permulta quae exstant exempla probant, e quibus affero Caes. B. G. I 32, 4 'crudelitatem horrere'.[2]) Quocum confero Aen. IV 208 'an te . . . horremus.' Eorum per analogiam Vergilius ut ceteri poetae Latini novas similis generis figuras finxit, quibus usus Graecus omnino praesto non fuit. Quarum e numero adnoto Aen. II 542 'iura fidemque / . . . erubuit.' Huiusmodi structurae naturam proprie Latinam probant exempla, quae eadem Vergilii

---

[1]) velut Xen. Anab. VI 1, 31 ὀμνύω ὑμῖν θεοὺς πάντας καὶ πάσας (cf. Kuehner-Gerth II 1 p. 296).

[2]) Kuehner-Stegmann II 1 p. 260 sqq.

rationem imitandi patefaciunt. Ita Aen. VIII 4 'et mutata suos requierunt flumina cursus'[1]) poeta Servio teste secundum Calvi Ius versum 'sol quoque perpetuos meminit requiescere cursus' accusativi verbo requiescendi adiuncti usum insolitum finxit. — Aliud autem statuendum est de Aen. VI 644 'pars pedibus plaudunt choreas', quem ad locum Nordenus recte monet in simili versu Homerico (Od. ϑ 264) πέπληγον δὲ χορὸν ϑεῖον ποσὶν vocem χορόν locum saltationis significare, cum Vergilius de saltatione ipsa loquatur. Propterea igitur Vergilius hac consuetudine usus est, quod voce χορόν saltationem significari censuit, ut Brenousius suo iure (p. 216) Homeri versum ad Vergilii verba aliquid valuisse iudicet.

C. De figura etymologica.

Landgraf, De fig. etymol. linguae Lat., Acta sem. phil. Erlangens. II 1881 p. 1 sqq.

Aliud accusativi genus est illud, quo figura etymologica, quae vocatur, efficitur, cuius exemplum Vergilius Aen. XII 680 'furere furorem' praebet. Quam structuram Landgrafius suo iure et Romanorum et Graecorum propriam esse iudicat, cum Brenousius (p. 221) eam e consuetudine Graeca ortam esse censeat. Neque vero iure, nam hac in re idem peccat, de quo ipse libro ineunte praemonet: ne fortuita formarum similitudine moveamur, ut structuram Graecanicam vocemus. Etsi concedimus figuram etymologicam apud Graecos frequentiorem fuisse quam apud Latinos, tamen antiquis temporibus in sermone Latino crebrius invenitur quam ut eam e Graeco translatam esse merito iudicemus. Praecipue orationis forensis exempla, ut 'noxiam noxit' in duodecim tabularum lege (XII 3, R. Schoell Legis XII tab. rel. p. 160), alia manifesto structurae originem Latinam probant. Poetae antiqui, imprimis Plautus, figura etymologica propter litteras concinentes admodum delectabantur. Ennius solus novem locos[2]) praebet, cum apud poetas comicos numerus multo maior sit, quorum unum exemplum attulisse satis habeo: Plaut. Mil. 734

---

[1]) cf. p. 17.

[2]) R. Frobenius, Syntax des Ennius, Nördlingen 1910 p. 26.

'scelesta facta facerent.' Nonnulla exempla apud Catonem inveniuntur.[1]) Et vel apud Sallustium et Ciceronem ipsum figura etymologica legitur. Vix igitur quisquam Latinam consuetudinem tam antiquam e sermone Graeco natam esse probet. Immo Servius recte sensisse videtur, cum ad locum Vergilianum modo laudatum adnotat: '*furere furorem* figura antiqua ut *servitutem servire.*' Item Quintilianus (Inst. VII 3, 26) iudicat: 'ut antiqui dicunt: *qui servitutem servit*' (Plaut. Mil. 95 alibi). Iniuria igitur Brenousius Aeneidos locum allatum ad Graecum illud *μανίαν μαίνεσθαι* refert (p. 224).

Praeter nomina eiusdem stirpis similis significationis nomina verbis adici solebant, quam figuram Schoemann (Opusc. Ac. III p. 203) permutationem vocavit. Cui praecipue poetas pro sermonis copiosi studio indulsisse mirum videri non potest. Huc pertinent multi loci Vergiliani, in quibus est Aen. VIII 629 'pugnataque in ordine bella', quod pro 'pugnatasque in ordine pugnas' scriptum est. Neque vero huic permutationis figurae sermonis Graeci vi opus fuisse per se patet. Immo e structura vere Latina orta est. Figura enim 'pugnare pugnam' iam apud Plautum (Amph. 253, Pseud. 524) et apud Ciceronem (ad Att. I 19, 2) invenitur.[2])

Simili ratione hae structurae Aen. IV 467 'longam viam ire', Aen. VI 122 'itque reditque viam', Aen. XII 753 'fugit refugitque vias' ortae sunt, quas Brenousius (p. 224) ad *πορείαν πορεύεσθαι* referendas esse iniuria iudicat. Cicero enim tamquam vetere formula forensi utitur verbis 'ite viam' 'redite viam' (Mur. 26), unde aperte eius natura Latina elucet. Sane Brenousio concedendum est consuetudinis Graecae et Latinae similitudine facillime effici potuisse, ut sermo Latinus usu Graeco adiuvaretur. At illae tantum figurae Graecanicae vocandae sunt, quas secundum exemplar Graecum fictas esse apparet. Ut exemplo utar, figura 'victoriam vicit' Latina vocari potest, sed Ennianum illud 'vicit Olympia' e sermone Graeco (cf. Thuc. I 126, 5 *Ὀλύμπια νενικηκότι*) translatum est. — Vergilii verba 'tauri spirantes naribus ignem' (Georg. II 140 et Aen. VII 281) sine dubio secundum Lucretii illud 'equi spirantes naribus ignem' (V 29) ficta sunt,

[1]) C. F. W. Mueller p. 12 sqq., Landgraf l. l.

[2]) Kuehner-Stegmann II 1 p. 275.

sed haud scio an Vergilio etiam Apollonii versus (Arg. III 410) *ταύρω χαλκόποδε στόματι φλόγα φυσιόωντες*[1]) praesto fuerit.

Veri simile hoc quoque est: poetam illud 'rumpere vocem' (Aen. II 129, III 246, XI 377), secundum quod per analogiam Aen. IV 553 finxit 'rumpere questus', e consuetudine Graeca deprompsisse. Confer Demosth. Phil. III 61 *ἐτόλμησε οὐδεὶς . . . ῥῆξαι φωνήν*, ubi figura idem atque apud Vergilium significat: post longum silentium loqui et quasi gestientem vocem edere. Exemplar autem Graecum, quod Vergilio ad hunc locum (Aen. III 246) usui fuit, dico Apollonii Rhodii Arg. III 931,[2]) eundem accusativi usum non praebet.

D. De accusativo adiectivi generis neutrius verbis intransitivis adiuncto.

H. Priess, Usum adverbii quatenus fugerint poetae quidam dactylici Diss. Marpurgi Cattorum 1909 p. 28 sqq.

Accusativus adiectivi et pronominis neutrius generis verbis subiunctus eandem naturam et originem habet atque usus modo descriptus, nam simili ratione atque in figura etymologica hic accusativus id, quod actione continetur, significat eo tantum discrimine interposito, quod pro nomine adiectivum usurpatur, quod illius nominis attributi locum tenet, ut 'magnum clamare' (Plaut. Mil. 823), ubi exspectes 'magnum clamorem clamare.' Quae structura cum apud ceteros Graecos haud raro invenitur tum in Homeri carminibus tam frequens est, ut eam proprie Homericam vocari liceat.[3]) At Latini scriptores cautius hunc accusativum adhibentes hac ipsa ratione a Graecorum more distante figurae originem Latinam probant. Neque enim — ut Graeci inde ab Homeri aetate — ab antiquissimis temporibus quodvis adiectivum verbo applicaverunt, sed pronomina tantum et adiectiva, quae quantitatem significant, illa ratione adhibere solebant, ut 'multum, nihil, tantum, quantum' similia;[4]) ita Enn. Ann. 406 'multumque laborat.' Optimi orationis solutae scriptores nullum fere exemplum praebent praeter verbum sonandi, cui vel Cicero compluribus locis accusativum adiectivi generis neutrius adiunxit.[5]) Paulo

[1]) Knoche p. 55. — [2]) Ruetten p. 8.

[3]) Exempla infra p. 28 afferemus.

[4]) Kuehner-Stegmann II 1 p. 279 sqq. — [5]) C. F. W. Mueller p. 77.

frequentius adiectiva eadem ratione verbis praecipue sonandi addita apud poetas inveniuntur.[1]) Inde a Vergilii demum tempore hic usus augeri coeptus est. Quam gratus autem ei fuerit his versibus probatur, quibus cumulatur: Aen. IX 631 sq. 'intonuit laevom sonat una fatifer arcus / effugit horrendum stridens adducta sagitta.' Vergilium et exempla priorum scriptorum Latinorum et sermo Graecus praecipue Homericus commovisse videtur, ut consuetudini tantopere indulgeret, quod permulta exempla infra allata docebunt. Nam etiam eundem usum Graecum ad sermonis Latini fata cuiusdam momenti fuisse priorum poetarum locis nonnullis, qui sine dubio ad consuetudinem Graecam referendi sunt, probatur ut Enn. Ann. 342 'ululat acuta',[2]) Catull. 51, 5 'dulce ridentem', quibuscum conferas Il. *M* 125 *ὀξέα κεκλήγοντες* et *B* 270 *ἡδὺ γέλασσαν* et Sappho II 5 (Bergk III p. 88) *γελαίσας ἰμερόεν.*[3]) Itaque cum Schaeflero (p. 29) et Brenousio (p. 231 sqq.) usum origine Latinum sermonis Graeci auxilio auctum vocare cogimur.

Iam vero accuratius perquiramus exempla Vergiliana. Vulgarem consuetudinem Latinam poeta secutus est, cum verbis accusativum 'multum' aut 'multa' addidit. Sed vel ad huiusmodi structuras interdum exempla Graeca eum adduxisse ex his locis cognoscas: Aen. I 3 'multum ille . . . iactatus', quem secundum Apollonii Rhodii verba (Arg. III 348) *πόλλ' ἐπαληθεὶς* finxit,[4]) item Georg. IV 301 'multa reluctanti' et Georg. IV 320 'multa querens', quibus poeta Homerum imitatus est: Il. *Z* 458 *πόλλ' ἀεκαζομένη* et *A* 351 *πολλὰ δὲ μητρὶ φίλῃ ἠρήσατο χεῖρας ὀρεγνύς.*[5]) — At accedamus ad adiectiva minus trita eodem modo usurpata.[6]) Quarum conformationum nonnullas Vergilius prioribus poetis Latinis debet, ut Aen. IX 631 'intonuit laevom' Ennio

---

[1]) Kuehner-Stegmann II 1 p. 281, vide infra.

[2]) de hac lectione cf. Frobenium (l. l. p. 26).

[3]) Frobenius p. 26 sq. — [4]) Ruetten p. 43. — [5]) Morsch p. 68.

[6]) Praetermisimus Aen. VIII 559 'inexpletum lacrimans' (ita Mueller p. 82, 'inexpletus' Ribb.), ubi codices inter se dissentiunt, quorum alii tradunt 'inexpletum' alii 'inexpletus'. Sed recte Deuticke ad Aen. III 70 adnotat poetam aliis quoque locis substantivo eodem casu adiectivum cum participio praesentis addidisse, ut (l. l.) 'auster lenis crepitans'. — Aen. VII 377 cum Deutickeo legimus 'immensam . . . furit . . . per urbem', quod etiam codices habent, contra Heynium, qui 'immensum' proposuit. (cf. Ribb.)

(Ann. 527), Aen. IX 621 'dira canentem' Catullo (63, 22) 'canit grave', Aen. IX 794 'asper, acerba tuens' et simili ratione Georg. III 149 'asper, acerba sonans' et Aen. XII 398 'stabat acerba fremens' Lucretio (V 33) 'asper, acerba tuens', quibus figuris etiam Homericum illud (Il. Γ 342) δεινὸν δερκόμενοι simillimum est. Porro ad Catullum spectat Catal. III a 13 (Birt) 'suave olentia mala' (Catull. 61, 7 'suave olentis amarici'), quocum comparo Catal. XIII 23 'olere nauticum' et Buc. III 63 'suave rubens' et Buc. IV 43 'suave rubenti.' Ad Lucretium denique — II 359 '(mater) crebra revisit' — referendum est Georg. III 500 '(equos) terram / crebra ferit' et Aen. XI 426 'multos alterna revisens / lusit . . . Fortuna.'[1])

Praecipue verbis sonandi Vergilius et consuetudinem Latinam secutus et sermone Homerico commotus idem accusativi genus applicavit. Verbo sonandi vel Ciceronem accusativum illum subiunxisse supra (p. 27) commemoravimus. At interdum Vergilius sine dubio Homerum imitandum sibi proposuit. Ita Georg. III 239 'immane sonat', ubi undam aestuantem describit, quam comparationem ex Il. Δ 422 sqq. deprompsit. Ibidem autem (v. 425) Homerus finxit μεγάλα βρέμει, quod Vergilius figura allata vertit. Simili modo Aen. IX 732 '(arma) horrendum sonuere' memoriam movet versus Iliadis Δ 420 δεινὸν δ' ἔβραχε χαλκός. Ceteri eiusdem generis loci per analogiam exemplorum, quae ab Homeri sermone pendent, ficti esse videntur. Hi sunt: Aen. VI 50 'mortale sonans', IX 125 'rauca sonans', VII 399 'torvomque repente / clamat', V 19 'transversa fremunt', X 572 'dira frementem', XII 535 'immane frementi' XII 398 'acerba fremens', VIII 248 'insueta rudentem', VI 288 et IX 632 'horrendum stridens', IX 705 'magnum stridens', XII 700 'horrendumque intonat.'

Praeterea nonnulla alia verba eodem modo usurpata apud Vergilium inveniuntur. Uno loco poeta ea figura adiectivum Graecum exprimere studuit: Georg. IV 270 'grave olentia' Nic. Θηρ. 51 βαρύοδμος.[2]) Eundem usum atque exemplum Graecum

[1]) Georgicon versus docet Vergilium versus Lucretiani vocem 'crebra' non nominativum singularis cum subiecto (mater) iungendum duxisse. Eandem ob causam etiam Aeneidos versum allatum (XI 426) huc pertinere nobis persuasimus.

[2]) Deuticke ad l. — Structura Vergiliana insuper Catulli sermone 'suave olentis amarici' (cf. supra) fulciri potuit.

praebet Buc. III 8 'transversa tuentibus', ubi Vergilius [Theocr.] Id. XX 13 ὄμμασι λοξὰ βλέποισα secutus est.[1]) Verborum autem iunctura 'torva tuentem' (Aen. VI 467) Nordenus Vergilium Graecum illud ταυρηδὸν βλέπειν (Ar. Ran. 804) reddidisse recte iudicat. Hoc igitur loco ultra exempli Graeci sermonem excessit, cum adverbium accusativo vertit. Cetera autem exempla Vergiliana, quae huc pertinent, haec sunt: Aen. VIII 489 'infanda furentem', X 726 'hians immane', XII 338 'miserabile insultans', X 273 'lugubre rubent', VII 510 'spirans immane', XI 854 'vana tumentem.' Quorum plurima cum consuetudine Homerica, ut Il. X 36 ἄμοτον μεμαώς, summa similitudine coniuncta sunt, ut nostro iure vel haec Graeci sermonis auxilio orta vocemus, etsi ad singulos locos exempla Graeca vix afferri possint.[2]) Sane quantum huius consuetudinis Vergilius Ennio debeat, nos diiudicare nequimus. Sed eius auctoritatem haud parvi aestimandam esse vel inde elucet, quod exempla quae exstant Enniana non minore audacia composita sunt quam Vergiliana.

Servius haec adiectiva generis neutrius aut pro adverbiis posita aut adverbia ipsa esse iudicat, velut Georg. III 500 '*crebra ferit:* nomen pro adverbio' et Georg. III 239 '*immane* adverbium est.' Ac re vera Vergilius ipse haec adiectiva ab adverbiis interdum non distinxit, quod Aen. X 572 'atque illi longe gradientem et dira frementem' probat. Veri simile enim est hunc versum ad Homericum illud μακρὰ βιβῶντα (Il. Γ 22) spectare. Vergilius igitur pro adiectivo Homerico adverbium posuit. Quod sine dubio metri causa fecit, quoniam 'longa' huic loco non convenit. Apparet igitur poetam non solum studio imitandi, sed etiam metri necessitate commotum esse, ut aut figuram adhiberet aut omitteret. Eadem autem ratione aliud quoque definitum est, quod adhuc praetermisi, dico singularis et pluralis numeri vicissitudinem, etsi antiquissimis temporibus multum interfuisse inter singularis et

---

[1]) Jahn II p. 3.

[2]) Incerti hi loci sunt: Georg. I 163 'tardaque . . . volventia plaustra' et III 28 'undantem bello magnumque fluentem / Nilum'. Nam eadem ratione explicari possunt atque Aen. III 70 'Auster lenis crepitans', de quo supra p. 28 disseruimus. Servius autem ad alterum locum (Georg. III 28) adnotat: '*magnumque fluentem* pro *magne* ut *torvumque repente clamat*'. cf. etiam Priess p. 29.

pluralis usum constat, quod K. Witte (Singular und Plural Leipzig 1907) pluralis qui vocatur poetici usu Graeco acriter perquisito demonstravit. At iam singula persequamur. Et plurales et singulares formae aequo fere numero inveniuntur, ita tamen, ut adiectiva secundae declinationis sola — non tertiae in-ia exeuntia — numero plurali adhibeantur. Tertiae enim declinationis numerus pluralis saepissime poetae dactylico non placet, quia crebro evenit, ut syllabas terminantes '-ia' brevis aut sequatur aut antecedat. Facile autem metricae rationes cognoscuntur Aen. IX 632, 732, XII 700, ubi accusativus 'horrendum' singulariter ponitur, cum pluralis metro dactylico minus accomodatus sit. Aen. VII 399 et IX 705 singularis numerus ('torvom' et 'magnum') adhibetur propter spondeos graves. Aen. IX 631 vocibus 'intonuit laevom' ex Ennio depromptis tonitrus vis verborum rhythmo melius effingitur quam plurali numero 'laeva'. Ceteris autem locis metrum formis in vocalem cadentibus, id est numero singulari tertiae declinationis et numero plurali secundae favit. Unde elucet poetam in numeris grammaticis adhibendis arte metrica fere commotum esse, quam ob causam grammaticos usum describentes,[1]) cum pluralem a singulari seiungere conantur, oleum et operam perdere censemus, nam quod attinet ad significationem fere nihil interest inter illas rationes.

E. De eodem accusativo adiectivorum temporalium.

Priess p. 28 sqq.

Eundem accusativum temporis significandi causa scriptum, cuius origo aut ex accusativo temporis aut e figura etymologica ducenda est, nonnullis locis invenimus, quibus Vergilius accusativum adiectivi neutrius pro adverbio temporali aut adiectivo cum praepositione coniuncto posuit, ut Aen. VI 617 'sedet aeternumque sedebit / infelix Theseus.' Graeci hac ratione magnam vocum copiam accusativo pronuntiabant, velut *ἐννῆμαρ, πανῆμαρ, σήμερον, αὔριον, δηρόν, ἀρχήν, τὸ λοιπόν*, ut unum exemplum addam: Aesch. Suppl. 324 *δοκεῖτε δή μοι τῆσδε κοινωνεῖν χθονὸς / τἀρχαῖον.* [2])

Iam vero oritur quaestio nonne sermo vere Latinus eundem usum praebeat. Sane. At perpauca tantum adiectiva antiquitus illa

[1]) C. F. W. Mueller p. 55 sqq. et 87.

[2]) Kuehner-Gerth II 1 p. 314 sq.

ratione adhiberi solebant, inter quae sunt ‘primum’ et ‘extremum. Ceterorum autem exempla antevergiliana rarissima sunt. Ita Ennius Ann. 106 finxit ‘aeternum seritote diem concorditer ambo.’ [1]) Deinde Plautus Aul. 146 ‘quod tibi sempiternum / salutare sit’ et Lucretius VI 519 ‘longumque morari / consuerunt.’ Vergilius primus maiorem exemplorum numerum praebet. Quorum nonnulla perfacile e figura etymologica orta explicari possunt, ut Aen. II 630 ‘ornus . . . supremum congemuit’, XI 865 ‘extrema gementem’, VI 401 ‘aeternum latrans’, ubi accusativus attributum substantivi subaudiendi duci potest. Qui loci illorum, quibus adiectivum qualitatis vim habet, [2]) simillimi sunt. Clarius autem ceteris exemplis accusativi notio temporalis intellegitur. Ita Georg. II 400 ‘glaeba versis aeternum frangenda bidentibus’, Aen. VI 617 (cf. supra p. 31), XI 97 ‘salve aeternum mihi maxima Palla / aeternumque vale’, [3]) X 740 ‘nec longum laetabere’, Buc. III 79 ‘longum formonse vale’, Aen. XII 864 ‘serum canit’, III 68 ‘supremum ciemus’, IX 484 ‘adfari extremum’, Georg. IV 122 ‘sera comantem.’ Quod Nordenus hanc consuetudinem ‘graecismum Augusteo aevo fictum’ vocat (ad Aen. VI 401), re vera uno loco exemplum Graecum exstat, quo Vergilius adductus esse videtur: Il. *Π* 852 *οὔ θην οὐδ' αὐτὸς δηρὸν βέῃ ἀλλά τοι ἤδη / ἄγχι παρέστηκεν θάνατος* (cf. Aen. X 740). Sed figurae Vergilianae etiam exemplum Lucretianum supra allatum praesto fuisse potest. — Georg. IV 122 simili ratione atque Georg. IV 270 (cf. p. 29) adiectivum Graecum: *ὀψιβλαστής* (Theophr. Hist. Plant. VI 6, 10) poeta vertit. Sic igitur de hoc quoque usu iudicandum est: Vergilium consuetudinem origine Latinam et metricis rationibus et praepositionum fastidio [4]) commotum secundum Graecorum morem excoluisse. Exemplum autem Plautinum (Aul. 146) et eorum, qui accusativum ‘aeternum’ praebent, locorum numerus magnus usum antiquitus dictioni sacrae proprium fuisse

---

[1]) i. e. ‘nectite in aeternum diem diei’. cf. Frobenium p. 28.

[2]) cf. p. 27 sqq.

[3]) Aen. VI 381 ‘aeternumque locus Palinuri nomen habebit’ vox ‘aeternum’ ad ‘nomen’ referri potest, quam ob causam locum praetermisimus. Idem accidit versui Aen. VI 235 ‘aeternumque tenet per saecula nomen’.

[4]) de quo iam supra (p. 22) disseruimus.

ideoque vere Latinum vocandum esse probat. — At hoc quaerendum est: utrum Vergilius accusativi naturam senserit an voces adverbialiter adhibuerit ut vocem 'primum', quam iam antiquis temporibus adverbii vim accepisse haud ignotum est. Scilicet idem hac in re de omnibus locis iudicari non potest. Plurimae voces adiectivorum notione positae sunt. Sed quod attinet ad accusativum 'aeternum', adverbium 'aeterne' ab Augustino (Conf. XII 28) primo usurpatum esse videtur,[1]) cum forma 'aeterno' apud Ovidium (Am. III 3, 11) demum adverbialiter posita sit. Hunc igitur accusativum Vergilius Ennium ut videtur secutus adverbio deficiente adhibuit. Simili pacto vox *δηρός* nisi duobus locis Homericis adiectivi munere non fungitur (Il. Ξ 206 et 305,)[2]) cum longe plurimis accusativus *δηρόν* adverbii notione inveniatur. Quo factum est, ut apud Homerum genuina huius adverbii natura paene evanuerit. Simili ratione Vergilius, ubi 'aeternum' dixit, non tam accusativi quam adverbii notionem atque vim sensisse videtur.

F. De eodem accusativo adiectivis addito.

Landgraf, Arch. f. l. Lex. II p. 90 sqq.

Accusativus adiectivi generis neutrius ut verbis et participiis, ita adiectivis subiungitur. Graecis hic usus inde ab Homeri tempore tritus fuit. Haec praecipue adiectiva: *πᾶν, πάντα, τἆλλα, λοιπόν, θάτερα* adverbiorum loco et verbis et adiectivis applicare solebant, ut Od. θ 552 *τις πάμπαν ἀνώνυμός ἐστι* vel. Thuc. IV 55 (*Λακεδαιμόνιοι*) *τὰ ἄλλα ἐν φυλακῇ πολλῇ ἦσαν.*[3]) Idem Latini faciebant praecipue in vocibus 'cetera, omnia, alia' similibus, ut Plaut. Mil. 927 'quiescas cetera', quam consuetudinem Landgrafius diligenter perquisivit. Accusativus adverbialis verbis subiunctus, ut Enn. Ann. 56 'cetera, quos peperisti, ne cures' e consuetudine illa scriptoribus antiquis tritissima, qua verbis genus neutrum adiectivi praecipue quantitatem significantis addi solebat, quam supra commemoravimus (p. 27), ortus est. Et eadem ratione adiectivis accusativus adiungitur. Plautus quidem haud raro adhibuit adverbium 'multum', ut Capt. 272 'quamquam non multum fuit

---

[1]) cf. Thesaur. l. l.

[2]) Tertium quem affert Ebeling in 'Lexico Homerico' locum: Il. N 276 non inveni.

[3]) Kuehner-Gerth II 1 p. 317.

molesta servitus.' Item Cicero de l. agr. 3, 13 'multum bonus.'[1]) Et locis allatis et aliis quae exstant exemplis ante Vergilii aetatem conscriptis praecipue Sallustianis: 'cetera egregius' (Hist. IV fr. 70 Maur.), 'cetera ignarus' (Iug. 19 Dietsch), 'alia sanctus' (Hist. I 116 M.) hic accusativus cum consuetudine Latina convenit. Itaque e Latina origine explicari potest illud (Aen. III 594) 'at cetera Graius', quamquam Servius hunc accusativum determinativum esse iudicans adnotat: 'Graeca locutio est ut Sallustius *sanctus alia.*' Sane, cum hoc accusativi genus ad adiectivum se applicat, difficulter ab accusativo Graeco seiungi potest. Et revera sunt loci Vergiliani, quibus Vergilium accusativum non tam pro adverbiali quam pro determinativo h. e. Graeco habuisse probatur, velut Aen. IV 558 'omnia Mercurio similis vocemque coloremque.'[2]) Qua de causa Servii sententiae ita fides habenda est, ut his saltem locis Graecum usum valuisse concedamus.

G. De accusativo locali verbis movendi addito.

Landgraf, Arch. f. lat. Lex. X p. 391 sqq.

Accusativi localis usum a consuetudine vulgari alienum, cum fit interrogatio: quo?, Landgrafius acriter perquisivit, cuius vestigia in subsequentibus premere haud scio an liceat. Qui accusativus ortus e structura *οἶκον ἰέναι* 'domum ire' apud Graecos iam antiquis temporibus ita excultus erat, ut Homerus hac ratione et appellativa et nomina propria terrarum et nomina populorum et nomina hominum verbis movendi subiungeret, velut Il. *Ε* 868 *ἵκανε θεῶν ἕδος αἰπὺν Ὄλυμπον* vel Od. *α* 22 *ἀλλ' ὁ μὲν Αἰθίοπας μετεκίαθε* vel ibid. 332 *μνηστῆρας ἀφίκετο δῖα γυναικῶν.* Apud Latinos scriptores idem usus paulatim inveteravit. Cum antiqui scriptores nomina terrarum nulla praepositione addita accusativo proferrent, Vergilius primus nomina populorum eadem ratione adhibuit, ut Buc. I 64 'at nos hinc alii sitientis ibimus A f r o s / pars Scythiam et rapidum Cretae venimus Oaxen / et penitus toto divisos orbe B r i t a n n o s.' Quam consuetudinem novam concinnitatis studio per analogiam ortam esse apparet, sed utrum Graecorum an Latinorum exemplorum vix discerni potest. Recte enim Landgrafius eam natura ut cum sermone Graeco ita cum

---

[1]) Kuehner-Stegmann II 1 p. 794.

[2]) cf. Aen. IX 650 et p. 18.

consuetudine Latina convenire iudicat. Quod idem (p. 396) censet Vergilianum huius structurae usum frequentiorem quam apud priores scriptores memoriam afferre sermonis Homerici, id etsi concedendum est, quantum ad populorum nomina attinet, tamen hoc tenendum est: poetam terrarum et urbium[1]) nomina eadem ratione praepositione omissa usurpavisse atque priorum temporum scriptores Latinos; ita Aen. III 254 'ibitis Italiam', quocum comparo Liv. Andron. Od. 14 (Baehrens) 'nequeinont / Graeciam redire.' Cuius structurae natura Latina etiam Servii, qui eam non Graecanicam vocat, adnotatione comprobatur (ad Aen. III 154): '*Ortygiam ad Ort.* more suo detraxit praepositionem.' Appellativi autem nominis accusativum localem, qualis invenitur Aen. I 365 'devenere locos', poeta e Lucretii dictione deprompsisse videtur, qui huiusce generis exemplum praebet VI 742 'ea . . . loca / venere volantes.'[2]) At iam Ennium eadem consuetudine usum esse his vocibus 'fac amicos eas et roges' Landgrafius (p. 394) verisimile proposuit. — Praeterea apud Vergilium multis appellativis eadem ratione usurpatis adiectivum nominis proprii, quod accusativo nudo favit, subiunctum est, velut Aen. IX 100 'Laurentia vexerit arva.' Qui usus perfacile sive concinnitatis studio, ut Aen. I 2 'Italiam Laviniaque litora venit', sive aliis rationibus e sermone Latino oriri potuit. At haud scio an consuetudo Graeca, qualis invenitur Soph. O. R. 35 *ἄστυ Καδμεῖον μολών*[3]) eum adiuverit. — Idem fere dicendum est de populorum nominibus. Concinnitatis studium Buc. I 64 manifesto docet, quem locum modo attulimus. At quoniam Vergilius primus huic rationi indulsisse videtur, eum morem Graecum sive Homericum[4]) secutum esse probabile est.

Apparet autem vel huius accusativi originem linguae Latinae tribuendam esse. Vergilius vero consuetudinem a prioribus scriptoribus Latinis acceptam e Graecis exemplaribus auxisse videtur.

---

[1]) Aen. I 415 Vergilius contra exempli Graeci usum linguae Latinae consuetudinem secutus urbis nomini praepositionem non applicavit: 'ipsa (Venus) Paphum sublimis abit sedesque revisit / laeta suas, ubi templum illi centumque Sabaeo / ture calent arae'. Quos versus ad verbum fere ex Homeri carmine vertit Od. *ϑ* 362 *ἣ δ' ἄρα Κύπρον ἵκανε φιλομμειδὴς Ἀφροδίτη / ἐς Πάφον. ἔνϑα δέ οἱ τέμενος βωμός τε ϑυήεις.*

[2]) Landgrafius falso (p. 395) adnotat: Lucr. VI 472.

[3]) Kuehner-Gerth II 1 p. 312. — [4]) cf. Od. *α* 22 supra p. 34.

Praeter concinnitatis studium hoc in usu dilatando etiam praepositionum vitandarum studium multum valuit. Poeta enim suum sermonem ad veterem illam simplicitatem reducere studuit, quod aliis quoque exemplis, de quibus supra (p. 22) disseruimus, comprobatur.

---

§ 3. De genetivi usu.

Brugmann-Delbrueck III p. 307 sqq.
Schmalz p. 360 sqq.
Kuehner-Stegmann II 1 p. 412 sqq.
Kuehner-Gerth II 1 p. 331 sqq.
Brenous p. 94 sqq.
Antoine p. 70 sqq.
Schaefler p. 36 sqq.

A. De genetivo possessivo.

Genetivi possessivi unum tantum genus tractandum est, quo personam esse quasi in possessione alterius significatur. Nam ille genetivus, qui filii patrem, uxoris maritum, servi dominum significat, possessivus vocandus est. Qui usus inde, quod pater familias et filii et uxoris et totius familiae dominus atque — ut ita dicam — possessor habebatur, ortus Graecis et Romanis communis fuit, ita tamen, ut paululum hac in re inter se discreparent. Graecorum enim scriptorum Homerus hoc genetivi genere appellativo omisso filii patrem significabat, velut Il. *B* 527 *Ὀιλῆος ταχὺς Αἴας*. Posteriores autem alias quoque cognationis rationes item exprimebant, ut Herodotus IV 205 *Φερετίμη ἡ Βάττου* uxoris maritum, aut Andocides I 17 *Λυδὸς ὁ Φερεκλέους* servi dominum.[1]) Scriptores Romani simili modo genetivum adhibuerunt et ad nomen uxoris, ut maritum: 'Servilia Claudi' (Cic. Att. XII 20, 2) et ad filiae, ut patrem indicarent: 'Caeciliam Metelli' (Cic. De div. I 46, 104). Eodem modo Vergilius genetivo usus est, ut Aen. III 319 'Hectoris Andromache' (uxor), VI 36 'Deiphobe Glauci' (filia), Buc. VI 74 'Scyllam Nisi' (filiam). Ad filii patrem significandum, cum de peregrinis hominibus agitur, item appellativum omitti

---

[1]) Kuehner-Gerth II 1 p. 333 sq., Brugmann-Delbrueck III p. 345.

solet, ut Cic. Verr. IV 138 'Diodorus Timarchidi.' Sed cum Romani ipsi nominantur, plurimi scriptores Latini ut Ennius Ann. 305 sqq. 'Cornelius . . . Cetegus Marcus . . . Marci filius' genetivo appellativum subiunxerunt. Eodem spectat, quod Servius ad Aen. I 41 'Aiacis Oili' adnotat: 'est Graeca figura,[1]) si dicamus *Aeneas Anchisae* et subaudimus *filius*. hac autem figura utimur circa patres et circa maritos tantum.' Servii igitur tempore usus, quem Vergilius sequitur, insolitus fuisse videtur. Sed hic locus: Cic. Cluent. 94 'Fausto Sullae' (filio) docet eum non abesse a sermone Latino. Sic igitur de hac consuetudine iudicandum est: Vergilius loco allato propterea figuram Homericam in suum sermonem recepit, quod consuetudo Latina eam adhiberi non vetuit. Servius autem solito appellativi usu deceptus est, ut figuram Graecam vocaret.

B. De genetivo partitivo.

Partitivus quoque genetivus linguae Latinae cum sermone Graeco convenit. Sed cum adiectivis generis neutrius subiungitur, haud idem est usus apud Graecos atque apud Latinos. Graeci enim inde ab antiquorum scriptorum aetate magna audacia eum usurpaverunt. Neque enim solum iis adiectivis genetivum partitivum adiungere consueverant, quae quantitatem significabant, ut Herod. VIII 100, 5 *τὸ πολλὸν τῆς στρατιῆς*, sed etiam iis, quibus omnino deerat notio partitiva, eum addere solebant, ut Soph. Ant. 1209 *ἀθλίας ἄσημα βοῆς*.[2]) — Apud Romanos autem antiquis quidem temporibus necesse erat his adiectivis inesse quantitatis quandam notionem. Frequenter igitur hac ratione usurpata sunt adiectiva aut pronomina 'tantum, quantum, multum, minus, hoc, aliud' similia, cuius usus exempla afferre supervacaneum est. Nonnulli autem scriptores iam inde ab Ennii aetate hanc consuetudinem dilataverunt ea ratione, ut simili modo atque Graeci vel iis adiectivis, in quibus quantitatis vis haud inesset, genetivum applicarent, ut Enn. Ann. 89 'in infera noctis.' Deinde Lucretius VI 96 'caerula caeli.' Neque a prosa oratione consuetudo abhorret. Sallustius ea admodum delectabatur, quod hi loci docent: Hist. II 54 (Maur.) 'inter laeva moenium', III 48, 4 'certaminis ad-

---

[1]) cf. Il. *B* 527 supra.

[2]) Kuehner-Gerth II 1 p. 278.

vorsa.'[1]) Apparet igitur Vergilio in hac figura fingenda audacem priorum scriptorum Latinorum usum praesto fuisse. At iam aggrediamur eius exempla ipsa. Ac primum quidem enumerabimus illos locos, qui cum solita linguae Latinae consuetudine conveniunt, in quibus aperte inest notio partitiva: Georg. II 284 'omnia sint paribus numeris dimensa viarum', Georg. IV 321 'mater . . . quae gurgitis huius / ima tenes', Aen. I 384 'egens Libyae deserta peragro', I 577 'Libyae . . . extrema', II 332 'obsedere alii telis angusta viarum', III 232 'ex diverso caeli', V 180 'summa petit scopuli', V 695 'tonitruque tremescunt / ardua terrarum et campi', VI 140 'non ante datur telluris operta subire', VIII 333 'pelagique extrema sequentem.' Ad quos accedunt duo, quibus adiectivum natura genuina omnino sublata pro substantivo est, ut alterum adiectivum attributi loco sibi adsciscere potuerit: Georg. III 291 'Parnasi deserta per ardua' et Aen. XI 513 'ardua montis / per deserta.' Ab hoc sermone vulgari deflectunt illa exempla, in quibus vis partitiva aut maxime dubia est aut omnino evanuit, ut Georg. I 478 'sub obscurum noctis', Georg. II 197 'saturi petito longinqua Tarenti', Aen. I 310 'in convexo nemorum', I 422 'strata viarum', II 725 'per opaca locorum', IV 451 et VII 543 'caeli convexa', VI 633 'per opaca viarum', VIII 221 'petit ardua montis', XI 882 'intra tuta domorum.' — At iam oritur quaestio, quantum huius sermonis linguae Latinae, quantum sermoni Graeco tribuendum sit. Duo loci modo allati Georg. III 291 et Aen. XI 513 manifesto probant poetam interdum adiectivum generis neutrius substantivi notione usurpavisse, cui Latino more genetivus applicari potuit. Quod attinet ad cetera exempla, poeta multum prioribus scriptoribus Latinis debet. Illorum enim quae attulimus adiectivorum notionis quantitativae plurima vel optimi scriptores eodem modo adhibuerunt, ut Cicero De div. II 91 'extremum mundi' (cf. Aen. VIII 333) et Caesar B. G. VI 26, 1 'ab eius (cervi) summo' (cf. Aen. V 180). Cum Lucretii sermone I 659 'ardua dum metuunt, amittunt vera viai' conferas Aen. V 695. Sed etiam alterius generis loci, quibus notio partitiva haud sentitur, complures ad priora exempla Latina referri possunt. Ennii sermonem poeta non solum Georg. I 478 secutus est,[2]) sed etiam veri simile

[1]) Kuehner-Stegmann II 1 p. 432 sq. Fighiera p. 134.

[2]) cf. Enn. Ann. 89 p. 37.

est Ennium illas figuras praebuisse, quas et Vergilius et Sallustius adhibuerunt, ut Georg. II 197 et Sall. Hist. I 102 (Maur.) 'fugam in Oceani longinqua.' Idem exemplo modo allato Georg. I 478 probatur, nam et figurae Sallustianae Hist. II 87 B 'incerto noctis' et Ennianae (cf. supra) simillimum est. Lucretii denique usu hi loci fulciuntur: Aen. I 422 (Lucr. I 315 'strata . . . viarum'), Aen. IV 451 (Lucr. I 340 'sublimaque caeli' et ibid. II 1100 'caeli serena' et VI 96 'caerula caeli'), Aen. XI 882 (Lucr. IV 612 'clausa domorum'). Vergilius igitur genetivi partitivi usu a prioribus scriptoribus Latinis in omnes partes exculto ductus est neque novi quicquam ei addidit. — Iam vero perquiramus, quanta vis in hac dictione dilatanda Graecis exemplis tribuenda sit. Interdum poeta Latinus sermonis patrii egestate coactus est, ut adiectivo generis neutrius genetivum adiungeret. Veri simile est Ennium (Ann. 89) Homericum illud νυκτὸς ἀμολγῷ (Il. *X* 28 alibi) reddidisse. Simili ratione Vergilius Georg. IV 321 [1]) substantivum Homericum Il. *A* 358 πότνια μήτηρ | ἡμένη ἐν βένθεσσιν ἁλὸς [2]) adiectivo vertit. Sed exstant exempla Latina, quae et genetivi structura et sententia ad verborum conformationes Graecas spectant, ut Sall. Hist. II 54 'inter laeva moenium' ad Il. *M* 118 νηῶν ἐπ' ἀριστερά et Lucr. I 315 (cf. supra), quod Brenousius (p. 98) suo iure ad Herod. I 185 τὰ σύντομα τῆς ὁδοῦ refert. Sermonem igitur Graecum genetivi partitivi adiectivorum generi neutri adiuncti usum admodum adiuvisse negari non potest, neque Nordeno, qui (ad Aen. VI 633) consuetudinem Graecanicam ab Ennio in Latinorum sermonem receptam vocat, assentiri dubitamus, quamquam fundamenta figurae in lingua Latina ipsa sita esse elucet. Vel optimi scriptores eam scilicet caute adhibuerunt. Servii aetate usus adeo corroboratus fuit, ut hic grammaticus eum nullo loco sermoni Graeco tribuerit. — Atque metricae rationes ei usui fuerunt, quod iam Koenius (p. 62) suo iure commemoravit. At longum est haec omnia fusius enarrare. Unum adnotatione dignum esse nobis videtur. Item ut supra (p. 30 sq.) accusativi usum tractantes cognovimus, vel in hac consuetudine nihil interest inter singularis et pluralis notionem. E necessitate metrica sola numerorum vicissitudo orta est. Vergilius enim sequenti voce

---

[1]) cf. p. 38. — [2]) Jahn IV p. 7.

a littera consonanti incipiente numerum pluralem propter exeuntem vocalem casibus rectis posuit, ut Aen. I 422, II 725, IV 451 [1]) alibi. Plurimae enim voces his formis ante vocabulum a consona incipiens hexametro facile inseri possunt, ut 'convexa, opaca, ardua, operta', cum casibus obliquis aut omnino non placeant aut metro dactylico admodum ingratae sint.

Quod vero ad genetivum partitivum ex adiectivo masculini aut feminini generis pendentem attinet, nullus locus Vergilianus nisi unus nobis tractandus est: Aen. IV 576 'sancte deorum.' Quam structuram Vergilium secundum Ennianum illud Ann. 22 'dia dearum' (ibid. 64 'sancta dearum' et simili ratione 18 et 491) finxisse, illum autem poetam consuetudinem Homericam, qualis invenitur Od. *α* 14 *δῖα θεάων*, vertisse cum inter omnes constet, facere non possumus, quin graecismum vocemus.

Denique autem hoc loco adnotandus est genetivus partitivus nomini numerali 'unus' subiunctus. Qui ante Vergilii aetatem iam ab Ennio Sc. 71 'Furiarum una', [2]) Plauto, Lucretio, interdum a Caesare et Cicerone ipsis [3]) usurpatus est, unde eum Latino sermoni tribuendum esse apparet. Tamen consuetudine Graeca auctus est, quod nonnulli loci Vergiliani aperte docent. Nam cum poetae versus Aen. I 327 sqq. pangenti, ubi Aeneas e Venere quaerit, utrum sit Phoebi soror an nympha, Homericum locum Od. *ζ* 149, ubi Ulixes Nausicaam adloquitur, ante oculos versatum esse inter omnes constet, verisimile est structuram 'an nympharum sanguinis una' (v. 329) Homericum illud (v. 153) *εἰ δέ τίς ἐσσι βροτῶν* imitari. Accedit, quod Servius ad Aen. VIII 217 'reddidit una boum vocem' haec adnotat: 'figura Graeca: *μία τῶν βοῶν*', unde grammaticum illum usum audacem atque insolitum sensisse intellegas. His locis: Aen. XI 586 'comitum una mearum' et Aen. II 526 'Polites / unus natorum Priami' etsi vox 'unus' eadem vi atque Graecum *τις* usurpata est, tamen poetam structuras proprio Marte finxisse similis locus Homericus Il. *Β* 791 *υἷι Πριάμοιο Πολίτῃ* veri simile reddit. Simili modo versus Georg. I 233 'quarum una corusco / semper sole rubens et torrida semper ab igne', qui Eratosthenis versum (Mercur. XIX 3 Hiller) *ἡ δὲ μία*

---

[1]) cf. p. 38 sq. — [2]) Frobenius p. 35.

[3]) cf. Schmalz p. 365, Kuehner-Stegmann II 1 p. 426.

ψαφαρή τε καὶ ἐκ πυρὸς αἰὲν ἐρυθρή exprimit, poetam figuras Graeci sermonis similes illis quoque locis inseruisse docet, quibus exemplar Graecum eas non praebuit.

C. De genetivo ex adiectivis pendente.

Woelfflin, Die Adiectiva relativa. Arch. f. l. Lex. XIII 1904 p. 407 sqq. Haustein, De genetivi adiectivis accomodati in lingua Latina usu Diss. Hal. Sax. 1882.

Usus genetivi adiectivis quae vocantur relativis, quia referuntur ad qualitatem aut statum genetivo significatum, vel participiis eadem vi atque notione usurpatis adiuncti, licet Romanorum scriptoribus omnium temporum communis fuerit, variis de causis in dies crevit. Cuius fata Woelfflinus Haustein alii uberius perquisiverunt. Sed una re admodum inter se dissentiunt. Haustein enim hanc consuetudinem e lingua Latina sola ortam esse censet, cui Schaeflerus (p. 39) Schmalzius (p. 366) Woelfflinus (p. 307) assentiuntur. Brenousius autem (p. 125 et 137 sq.) simili dictioni Graecae quandam vim tribuit. Antoine (p. 87 sqq.) sine dubio nimium linguae Graecae concedit. Operae igitur pretium erit quaestionem iterare. Ac primum quidem, quousque ante Vergilium structura progressa sit, nonnullis exemplis docebimus. Praeter adiectiva illa 'peritus, memor, potens, plenus, cupidus, particeps', quae frequentissime genetivum sibi applicabant, [1] antiqui scriptores Latini his adiectivis genetivum adiunxerunt: 'incertus' Enn. Scaen. 142 'suarum rerum incerti' (item Pl. Rud. 213 et Ter. Phorm. 578), 'iners' Naev. ex Macrob. Sat. VI 5, 9 (L. Janus), 'expers' Ter. Haut. 652, 'socors' Ad. 695, 'dignus' Plaut. Trin. 1153, 'vacivos' Plaut. Bacch. 154. Eodem modo ea adiectiva, quae natura adiectiva verbalia ducenda sunt, adhibebantur, ut 'ignotus' Naev. Trag. X (Ribb.) et 'manufestus' Plaut. Truc. 132 [2]) et par-

---

[1]) Qui genetivus natura tum obiectivus habendus est, ut 'hominem artificii cupidum' (Cic. Verr. IV 46), tum partitivus, ut 'coniurationis participes' (Cic. Cat. III 14), tum causam significat, ut Georg. III 498 'ingratusque salutis', tum pro ablativo separationis est, ut Georg. IV 310 'trunca pedum'.

[2]) Cum Woelfflino lectionem 'manufestam mendaci' tenendam esse censemus contra Leonem et Lindsay, qui in 'manufesto mendaci' mutaverunt: nam codices habent 'manifesta'.

ticipia praesentis, ut 'adpetens' Enn. Var. 145, 'cupiens' Ann. 77 sq., 'amans' Plaut. Asin. 857. Neque vero a prosa oratione eundem usum abhorrere nonnulla exempla doceant, quibus adiectiva vel participia eadem ratione usurpata sunt, ut 'vacuus' Sall. Iug. 90 [1]) 'consors' Cic. Flacc. 35, 'compos' Cic. in Pis. 48, 'inops' Cic. de or. II 40, 'consultus' Cic. Planc. 62, 'insuetus' auct. ad Herenn. IV 4, 6, 'metuens' Cic. Sen. grat. 4.

Vox 'animi' adiectivis subiuncta [2]) praeter ceteras digna est, quae accuratius consideretur. Iam Delbrueckius [3]) hanc formam antiquitus esse locativum cognovit, quem in iis vocabulis, quorum stirps littera -o finitur, in litteram -i cadere nemo ignorat, ut 'humoi-humi.' Formam 'animi' manifesta notione locali Lucretius praebet I 136 'nec me animi fallit.' Qui locativi, cum a multis scriptoribus haud recte cognoscerentur, ad structuram genetivi proferendam plurimum valuerunt. Ennii Scaen. 414 'aevi integros' Vergilius Aen. V 73 'aevi maturus', II 638, IX 255 'integer aevi' imitatus est. Item plures loci Plautini locativi usum praebent, quorum hic: Trin. 454 'satin tu's sanus mentis aut animi tui' poetam vocem 'animi' pro genetivo habuisse itaque locativum genetivo adiectivis subiungendo profuisse probat. [4]) Aliis quoque locis idem locativus 'animi' nobis occurrit, ut Bacch. 615, Cas. 629, Men. 110. E Terentii fabulis hoc exemplum afferre licet: Ad. 310. Sallustius denique eundem usum praebet Hist. I fr. 150, II fr. 74 (M.) alibi. [5]) Quam consuetudinem Vergilius accepit. [6])

---

[1]) De Sallustii sermone cf. Fighiera p. 137.

[2]) ut Aen. IV 203 'amens animi'.

[3]) cf. Funaioli, Der Lokativ und seine Auflösung, Arch. f. l. Lex. XIII 1904 p. 312.

[4]) Cuius exempli hoc Vergilianum simillimum est: Aen. XI 417 'fortunatusque laborum / egregiusque animi' (cf. etiam Sall. Hist. I 148 (M.) 'egregius militiae'). Item huc pertinet Georg. III 289 'animi dubius', qua figura Vergilius Lucretii verba (I 136) modo allata vertere studuit. Eo autem, quod vocem 'animi', in qua apud Lucretium aperte inest notio localis, adiectivo adiunxit, se hanc formam pro genetivo habuisse docet.

[5]) cf. Funaioli p. 301 sqq., Fighiera p. 137.

[6]) His locis locativum sive genetivum 'animi' aut adiectivis aut similibus vocibus subiunxit: Georg. III 289 'dubius a.', IV 491 'victus a.', Aen. II 61 'fidens a.', IV 203 'amens a.', IV 300 'inops a.', IV 529 'infelix a.', V 202 'furens a.', IX 246 'maturus a.', IX 685 'praeceps a.', X 686 'miserata a.', XI 417 'egregius a.', XII 19 'praestans a.'.

Quibus ex argumentis apparet usum genetivi adiectivis relativis adiuncti a Romanis antiquitus alienum non fuisse et scriptores, imprimis poetas perfacile variis rationibus moveri potuisse, ut adiectivis vel participiis, quae ad id tempus genetivum sibi non applicaverant, eum adicerent.[1]

Iam vero breviter inquiramus in usum Graecum, quem multo frequentiorem esse inter omnes constat. Plurima enim adiectivorum genera apud Graecos genetivum sibi adsciscebant, ita ut numerus eorum in dies cresceret. Haec afferre sufficit:[2] *κοινωνός, ἄμοιρος, ἐπήβολος, ἀκόλουθος, ἄψαυστος, ἰθύς, μεμαώς, πρόθυμος, ἄντιος, ἐναντίος, παραπλήσιος, πλήρης, πλούσιος, μνήμων, ἐπιμελής, περίφοβος, ἐγκρατής, καρτερός, ἔμπειρος*, quibus addendus est permagnus numerus eorum, quae significatione similia aut contraria sunt. Accedit, quod genetivus apud Graecos ablativi partes gerebat itaque multa adiectiva genetivum sibi applicabant, quae in Latinorum sermone ablativum habebant ut haec *ἐλεύθερος, μόνος, καθαρός, ἔρημος*, velut Od. ε 443 *χῶρος λεῖος πετράων*, et adiectiva vel participia animi motum significantia ut *τλήμων σὺ τόλμης* (Eur. Io 960) alia. Permultas igitur eiusmodi structuras Graecorum sermo exhibebat, quibus Vergilius perfacile moveri potuit, ut per analogiam sermoni Latino novas adderet.

At iam investigantes exempla Vergiliana initium capiamus ab hoc loco: Buc. III 60 'Iovis omnia plena', qui sine dubio ad Arati versum (Phaen. 2) *μεσταὶ δὲ Διὸς πᾶσαι μὲν ἀγυιαί* referendus est. Quae figura, etsi Graecanica vocanda non est, cum vel optimae dictioni conveniat, tamen exemplaria Graeca aliquid valuisse in hoc genetivo adhibendo aperte docet. Eodem pertinet Aen. X 154 'libera fati', quam structuram scriptores Latini inde ab antiquis temporibus adhibuerunt, ut Plaut. Amph. 105. Sed haud inepte Antoine (p. 89) versum Euripideum eiusdem sententiae adnotat: Phoen. 999 *οἱ μὲν θεσφάτων ἐλεύθεροι.* — Aen. X 225 poetam adiectivum Graecum figura 'fandi doctissima' vertere studuisse Ruettenus (p. 51) vidit, qui eam ad quartum Apollonii Rhodii librum (v. 1322) rettulit, ubi Libyae deae *αὐδήεσσαι* vocantur.

---

[1]) Haustein ipse (p. 13) esse numero circiter 435 talia adiectiva existimat, quorum 73 primum in prisca Latinitate inveniantur, 175 primum apud aureae aetatis scriptores, 189 primum aevo argenteo aut inferiore aetate.

[2]) cf. Kuehner-Gerth II 1 p. 342 sqq.

Sane plurimas eiusmodi structuras Vergilius a Latinis scriptoribus prioris aetatis accepit. Ita Servio teste Aen. XI 27 'virtutis egentem' secundum Enn. Ann. 599 composuit. Figuram 'integer aevi' (Aen. II 638 et IX 255) ibidem Scaen. 414 inveniri iam supra (p. 42) commemoravimus, cuius per analogiam structurae 'maturus aevi' (Aen. V 73) et 'maturus animi' (Aen. X 246) ortae esse videntur. Praeterea nonnullis locis Plautinis et Terentianis, quibuscum usus Vergilianus congruit, poetam, quod attinet ad hanc genetivi usurpationem, multa scriptoribus antiquis debere demonstratur. [1]) Haec exempla affero: Georg. II 372 'imprudens laborum' (Ter. Eun. 136) et Aen. XI 338 'largus opum' (Plaut. Asin. 533). E Lucretii sermone Vergilius has structuras sumpsit: Georg. II 428 'opis haud indiga nostrae' (Lucr. II 650) et Georg. IV 310 'trunca pedum' (Lucr. V 840 'orba pedum'). Apud Ciceronem primum hae figurae inveniuntur, quibus tum Vergilius usus est: Georg. II 191 'fertilis uvae' (Nat. deor. II 131), Aen. IV 554 'certus eundi' [2]) (Att. IX 2 A 2 'certus consilii'), [3]) Aen. V 716 'metuensque pericli' (Sen. grat. 4, cf. p. 42), [4]) Aen. X 906 'consortem nati' (Flacc. 35), Aen. X 559 'inmunem belli' (Verr. V 58). Cum Sallustii denique dictione hoc exemplum Vergilianum congruit: Aen. I 441 '(lucus) laetissimus umbrae' i. e. 'abundans umbrae', ut Sall. Hist. II fr. 83 'frugum pabulique laetus ager.' At contra caveas, ne cum eo exemplo (Aen. I 441) compares Aen. XI 73 'laeta laborum.' Hic enim adiectivum 'laetus' significatione et vi omnino prioris loci dissimile potius cum figura Graeca *εὐδαίμων τινός* componas. [5]) Similia exempla haec quoque

[1]) Qui poetarum comicorum loci, etsi ipsi Vergilii exemplaria ducendi non sunt, cum Augusteae aetatis scriptores hoc litterarum genus admodum aspernatos esse constet (cf. Hor. Ep. II 1, 169 et II 3, 270), tamen antiquorum scriptorum usum illustrant.

[2]) Decem versibus infra (564) poeta, ut sermonem variaret, eidem adiectivo infinitivum applicavit: 'certa mori'.

[3]) cf. Enn. Sc. 142 (supra p. 41) et ibid. 143 'ex incertis certos compotesque consili'.

[4]) Georg. I 246 'Arctos Oceani metuentes aequore tingui' poeta infinitivum adhibuit, cum exemplar Graecum Arat. Phaen. 48 *Ἄρκτοι κυανέου πεφυλαγμέναι Ὠκεανοῖο* (cf. Knoche p. 32) genetivi structuram praebeat (v. etiam p. 76).

[5]) cf. Plat. Phaed. 58 *E εὐδαίμων τοῦ τρόπου καὶ τοῦ λόγου.*

vocanda sunt: Aen. XI 416 'fortunatus laborum', quod Servius sic interpretatur: 'sicut *laeta laborum:* et est Graecum', et Georg. I 277 'felices operum', quibus verbis Vergilius Hesiodum secutus est, ita tamen, ut genetivum ex illius dictione non sumeret, quippe qui adiectivo infinitivum adiunxisset: (Erg. 812) *ἐσθλὴ μὲν γάρ θ' ἥ γε φυτεύεμεν ἠδὲ γενέσθαι.* [1])

Restant nonnulla adiectiva, quibus Vergilius primus novandi cupidus genetivum subiunxit: dives: Buc. II 20 'quam dives pecoris nivei quam lactis abundans.' [2]) In Vergilii exemplari Graeco (Theocr. Id. XI 34) [3]) genetivus non invenitur. Structura autem Vergiliana hoc loco e concinnitatis studio nata est. Nam pro diligentia, qua poeta hexametrum composuit, versus exeuntis voces 'lactis abundans' figuram 'dives pecoris' fingendam adiuvisse, ut concinne verba caderent, apparet. Eadem ratione haec structura ficta esse videtur: Aen. IV 188 'tam ficti pravique tenax quam nuntia veri', ubi genetivus nomini sive adiectivo sive substantivo 'nuntia' subiunctus alterius figurae 'pravi tenax' causa fuit. Adiectiva 'securus (amorum') (Aen. I 350, VII 304, X 326) et ('tui) fidissima' (Aen. XII 659) e Woelfflinii opinione (p. 408) genetivum propter substantivi (cura, fiducia), quod iis continetur, vim sibi applicaverunt. Sed haud scio an analogia structurarum similium, ut 'liber amorum' 'fidens tui' plus valuerit. Audacius poeta haec adiectiva usurpavit: 'infelix' (Georg. III 498 'i. studiorum'), quocum conferas sermonem Platonis (p. 44), et Aen. X 666 'ingratus (salutis)', quem ad versum Forbiger recte adnotat: 'ad Graecorum poetarum morem *ἀχάριστος σωτηρίας*, quod ad salutem, vitam servatam attinet.' Sed vel has figuras audaces concinnitatis studio multum debere e versibus ipsis cognoscas: '(victor equos) / labitur infelix studiorum atque immemor herbae' (Georg. III 498) et '(Turnus) / respicit ignarus rerum ingratusque salutis' (Aen. X 666).

Cetera autem adiectiva vel participia a Vergilio primo cum genetivo coniuncta, de quibus nihil dicendum est, quod ad hanc quaestionem pertineat, haec sunt: fessus (Aen. I 178), effetus (Aen. VII 440 et 452), vanus (Aen. X 631), doctus (Aen. X 225), expertus (Aen. X 173), praesagus (Aen. X 843), praescius (Aen.

---

[1]) cf. Morsch p. 37.

[2]) Item Georg. II 136, 468, Aen. I 14, 343. II 22, IX 26, X 563.

[3]) Jahn II 5.

VI 66), servantissimus (Aen. II 427), impatiens (Aen. XI 639), exsors (Aen. VI 428), trepidus (Aen. XII 589). Quae omnia per analogiam facile ad similes figuras Latinas, quae iam ante Vergilium inveniuntur, referri possunt.

Quibus ex argumentis sermoni Graeco nobis hunc genetivi usum Vergilianum ponderantibus haud multum tribuendum esse apparet. Sane interdum consuetudinem Graecam aliquid valuisse, imprimis iis locis, quibus genetivus ablativi partes gerit, negari non potest. Plurimas autem eiusmodi figuras priores scriptores Latini praebent. Quarum per analogiam ceterae, quas poeta primus composuit, perfacile effici potuerunt. Servius uno loco (ad Aen. XII 649 'indignus amorum') adnotat: 'Graeca figura: nam nos: *indignus illa re* dicimus, contra Graeci *ἀνάξιος στεφανοῦ.*' Inepte vero. Nam Woelfflinus (Rh. Mus. 37 1882 p. 114) compluribus rationibus commotus usum genetivi adiectivo 'dignus' adiuncti proprie Latinum vocandum esse censuit, ut vel hoc exemplum Vergilianum linguae Latinae tribui liceat.

D. De genetivo verbis adiuncto.

Genetivi verbo subiuncti quattuor tantum exempla Vergiliana notanda sunt: Aen. I 215 'implentur veteris bacchi pinguisque ferinae', Aen. X 441 'tempus desistere pugnae', Aen. XI 126 'iustitiaene prius mirer belline laborum', ibid. 280 'nec veterum memini laetorve malorum.'

Primi loci usus a vulgari consuetudine Latina haud prorsus alienus est, quoniam verbum implendi crebro genetivum sibi applicavit, quod haec exempla docent: Plaut. Aul. 552 'omnes angulos furum implevisti', Men. 901, Cic. Verr. I 46, 119. Quo factum est, ut Servius ad hunc locum adnotaret: 'impleor duos casus regit.' At, quia Vergilius hoc uno loco verbo genetivum adiunxit, veri simile nobis videtur genetivum structurae Homericae Il. *Λ* 780 *ἐπεὶ τάρπημεν ἐδητύος ἠδὲ ποτῆτος*, quae poetae ante oculos versata est, eius causam fuisse.

Et analogia similium structurarum Latinarum et sermonis Graeci hi loci: Aen. XI 280 et XI 126 orti esse videntur. Servius ad utrumque locum adnotat: 'figura Graeca.' Sed poetam perfacile etiam vernaculo sermone duci potuisse alter locus Aen. XI 280 docet, ubi verbo 'memini' genetivum solita ratione subiunxit

et concinnitatis studio voci ‘laetor’ eundem casum praeter usum addidit. Item verbi mirandi (Aen. XI 126) usus similibus structuris nititur. Eodem enim modo haud raro verba affectuum usurpata sunt, ut Turpil. ap. Non. 146, 19 (Lindsay I p. 213) ‘ut illius conmiserescas miserai orbitudinis.’ Novae igitur structurae, quas Vergilius duobus illis locis fingere conatus est, haud prorsus alienae sunt a Latini sermonis ingenio. Praecipue quod attinet ad Aen. XI 280, Servio non assentimur, quoniam Graeci verbis delectandi dativum vel praepositionem cum dativo subiungere solebant.[1]) Ad alterum autem locum fingendum poetam perfacile sermo Graecus, ut Dem. 18, 204 *τίς γὰρ οὐκ ἀγάσαιτο τῶν ἀνδρῶν ἐκείνων τῆς ἀρετῆς*, adducere potuit. Sane, utrum analogia consuetudinis Latinae an sermonis Graeci praevaluerit, vix acriter diiudicari potest.

Aen. X 441 poeta primus scriptorum Latinorum verbo desistendi genetivum applicavit, cumque simile exemplum ante eum nullum exstet, fieri non potest, quin huius aetatis viros doctos secuti structuram sermonem Graecum imitari censeamus, cuius haec exempla adnotamus: Il. *Η* 376 *παύσασθαι πολέμοιο δυσηχέος*, ibid. 290 *παυσώμεσθα μάχης καὶ δηιοτῆτος*, *Α* 210 *ἀλλ' ἄγε λῆγ' ἔριδος*. Neque vero hunc usum novum fingens poeta longe a Latino more recessit. Veteres enim poetae interdum verbo incipiendi genetivum applicaverunt, ut Terentius Phorm. 709 ‘novi / negoti incipere’, qui aut partitivus vocandus est aut analogia figurae ‘initium facio alicuius rei’ effectus est. Simili ratione usus Vergilianus aut e figura ‘finem facio alicuius rei’ (Caes. B. G. II 6, 4) nasci aut per analogiam verbi incipiendi cum genetivo coniuncti componi potuit.[2]) Eundem autem genetivum insolitum apud Horatium his locis invenimus:[3]) Carm. II 9, 17 ‘desine mollium / tandem querellarum’ et III 27, 69 ‘(Venus) satis abstineto / dixit irarum calidaeque rixae.’ Et apud Vergilium et apud Horatium genetivus ad verba eiusdem notionis imperativi functione usurpata se applicavit. Quare hunc usum, ut adhortationis formula Homericis locis allatis obvia exprimeretur, e Graeco in sermonem Latinum a poetis receptum esse veri simile est.

---

[1]) Kuehner-Gerth II 1 p. 439 sq.

[2]) Dziatzko-Hauler ad Ter. Phorm. (^{4}Lpzg. 1913) 709.

[3]) Kiessling ad Hor. Carm. II 9, 17.

E. De variis genetivis exemplaria Graeca imitantibus.

Huic quaestioni adicere opus est nonnullos locos, quibus praeterea Vergilius exemplum Graecum secutus genetivum adhibuit. Quamquam tantum abest, ut Graecanici vocandi sint, ut consuetudini Latinae tam familiares sint quam sermoni Graeco, aperte docent, quantopere vulgarem quoque genetivi usum exempla Graeca auxerint. Agitur autem de certis quibusdam figuris dictioni sublimi imprimis epicae exoptatis, quibus poeta cum alias tum Homericas figuras imitandas sibi proposuit.

Buc. IV 26 'laudes heroum' Il. *I* 524 *κλέα ἀνδρῶν*, [1])

Georg. I 384 'prata Caystri' Il. *B* 461 *ἐν λειμῶνι Καυστρίου*, [2])

Georg. III 261 'porta caeli' Il. *E* 749 *πύλαι οὐράνου*, [3])

Georg. IV 233 'Oceani amnes' Il. *Γ* 5 *ἐπ' Ὠκεανοῖο ῥοάων*, [4])

Aen. II 782 'arva opima virum' Il. *M* 283 *ἀνδρῶν πίονα ἔργα*, [5])

Georg. I 118 'boum labores' Hesiod. Erg. 46 *ἔργα βοῶν*, [6])

Aen. VI 19 'remigium alarum' Aesch. Agam. 51 *πτερύγων ἐρετμοῖσιν ἐρεσσόμενοι*, [7])

Aen. IV 143 'Xanthi fluenta' Apollon. Rhod. Arg. I 309 *ἐπὶ Ξάνθοιο ῥοῇσιν*, [8])

Aen. VII 761 'Hippolyti proles' Apollon. Arg. I 133 *Δαναοῖο γενέθλη*, quem locum adnotari licet, cum totus hic versus ex Apollonii carmine sumptus sit, [9])

Georg. I 16 'saltus Lycaei' Theocr. Id. I 123 *ὤρεα μακρὰ Λυκαίω*, [10])

Buc. V 68 'crater pinguis olivae' Theocr. Id. V 53 *στασῶ δὲ κρητῆρα μέγαν λευκοῖο γάλακτος / . . . στασῶ δὲ καὶ ἁδέος ἄλλον ἐλαίω.* [11]) [12])

---

[1]) Cartault p. 248. — [2]) Knoche p. 45. — [3]) Deuticke ad l. l.
[4]) Regel p. 16. – [5]) Deuticke ad l. l. — [6]) Knoche p. 8.
[7]) Serv.: 'Aeschylus', cf. Regel p. 6. — [8]) Ruetten p. 68.
[9]) Ruetten p. 27. — [10]) Knoche p. 53. — [11]) Jahn III p. 8.
[12]) Similem genetivi usum 'atri velleris agnam' (Aen. VI 249) Vergilius adhibere coactus est, ut adiectivum Homericum (Od. *κ* 524 sq. *ὄιν παμμέλανα*) accurate in suum sermonem transferre posset.

§ 4. De dativi usu.

Brugmann-Delbrueck III p. 277 sqq.
Kuehner-Gerth II 1 p. 404 sqq.
Schmalz p. 371 sqq.
Kuehner-Stegmann II 1 p. 307 sqq.
Gustafsson, De dativo Latino Helsingfors 1904.
C. F. W. Mueller, Die Syntax des Dativs im Lat., Glotta II 1910 p. 170 sqq.
Brenous p. 142 sqq.
Schaefler p. 45 sqq.
Antoine p. 99 sqq.[1])
G. Landgraf, Der dativus commodi u. der dat. finalis mit ihren Abarten, Arch. f. lat. Lex. VIII 1893 p. 39 sqq.

A. De dativo commodi.

Etsi dativi commodi usum et Graecae et Latinae linguae inter se convenire constat, tamen Vergilium interdum eo, quod exemplar Graecum structuram praebuit, commotum esse, ut eidem indulgeret, negari non potest, quod nonnulli loci docent. Versum Buc. V 72 'cantabunt mihi' Theocriti verba (Id. VII 71) *αὐλησεῦντι δέ μοι δύο ποιμένες* et Buc. III 89 'mella fluant illi' Theocr. Id. V 126 *ῥείτω χἁ Συβαρῖτις ἐμὶν μέλι* imitari Jahnus, Deuticke alii recte monent. Simili ratione Buc. V 66 '(aras) ecce duas tibi Daphni, duas altaria Phoebo' poetae Theocriti exemplar hoc (Id. XXVI 5) *κάμον . . . βωμώς | τὼς τρεῖς τᾷ Σεμέλᾳ τὼς ἐννέα τῷ Διονύσῳ* ante oculos versatum est.[2]) Sed ad huiusmodi usum sermone Graeco ei haud opus fuisse vel eo probatur, quod eadem figura iam in catalepton quae vocantur carminibus (XIV 9) 'marmoreusque tibi . . . Amor stabit' nobis occurrit, ubi exemplar Graecum non exstat. Cetera quae allaturi sumus exempla ad Homeri carmina spectant: Aen. IV 24 (et XII 883) 'sed mihi vel tellus optem prius ima dehiscat', quocum confero Il. *Δ* 182 *τότε μοι χάνοι εὐρεῖα χθών*, et Aen. *X* 467 'stat sua cuique dies'

[1]) H. Ditelli libellum, Der Dativ bei Virgil, Innsbruck 1873 e bibliothecis habere non potui.
[2]) Jahn III p. 8.

Il. Ο 613 ἤδη γάρ οἱ ἐπώρνυε μόρσιμον ἦμαρ / Παλλὰς Ἀθηναίη. Denique Aen. I 334 'tibi cadet hostia' memoriam movet loci Homerici Od. π 184 ἀλλ' ἵληθ', ἵνα τοι κεχαρισμένα δώομεν ἱρά.

Hi igitur loci aperte demonstrant poetam illic, ubi exemplaris Graeci dictio Latino sermoni conveniebat, eius structuras in suum carmen recipere non dubitavisse.

B. De dativo iudicantis.

Dativus iudicantis cum dativo commodi natura et vi tam arte coniunctus est, ut Landgrafius (l. l. p. 51) eum haud iniuria dativi commodi speciem nominaverit.[1])

Et apud Graecos et apud Latinos scriptores hoc dativi genus, cuius exemplum Vergilianum proponimus Buc. I 7 'namque erit ille mihi semper deus' crebro invenitur. Quo ex usu vulgari paulatim alia structura linguae Latinae minus apta orta est, dico dativum participii ad personae indefinitae statum vel condicionem significandam, imprimis cum de loco agitur, adhibitum, cuius generis praestantissimum exemplum Vergilianum hoc est: Aen. VIII 212 'quaerenti nulla ad speluncam signa ferebant'. At priusquam in hunc usum accuratius inquirimus, omnia dativi iudicantis genera ex exemplis Vergilianis obiter contemplemur. Duo autem distinguenda sunt: dativus subiecto plane definito, ut Buc. I 7, et dativus subiecto indefinito, ut Georg. III 502 '(pellis) ad tactum tractanti dura resistit'. Prioris generis haec exempla Vergilius praebet[2]): primum illa, quibus dativus personae solus adhibetur velut Buc. I 7 alia, deinde illa, quibus dativus personae praeter participium aut exprimitur aut e versibus antecedentibus subaudiendus est: Aen. I 102 '(Aeneae) talia iactanti stridens Aquilone procella / velum adversa ferit', VI 46 '(virgini) talia fanti /

---

1) Antoinio, qui (p. 103) 'dativum iudicantis' a 'dativo personae rem considerantis' seiungit, non assentior, cum illa genera accurate discerni non possint, quod exempla Vergiliana ipsa docent, quae vir ille doctus proponit. Duo enim priora, quae 'dativo personae rem considerantis' adnumerat: Georg. I 242 'hic vertex nobis semper sublimis' et Buc. IX 59 eodem iure 'dativo iudicantis' attribui posse neque cum structura Graeca ἡμῖν ἐνθάδ' οὖσιν comparanda esse censemus. Nam vocem 'hic' (Georg. I 242) non adverbium loci esse neque ad dativum 'nobis', sed ad substantivum 'vertex' spectare per se patet.

2) Plurima exempla ex Antoinii libro (p. 104) sumps.

ante fores subito non vultus, non color unus / non comptae mansere comae' [1]), II 771 sq. 'quaerenti . . . et furenti . . . umbra . . . visa mihi', XI 551 '(Metabo) omnia secum / versanti subito vix haec sententia sedit'. Haec omnia exempla nequaquam a consuetudine Latina abhorrere vix quisquam negabit, quod et sermo Ciceronianus velut Epist. IV, 13, 1 'quaerenti mihi iam diu veniebat in mentem' [2]) comprobat et versus Homericus Od. ε 313 *ὣς ἄρα μιν εἰπόντ' ἔλασεν μέγα κῦμα κατ' ἄκρης*, quem Vergilius Aen. I 102 imitandum sibi proposuit. Vergilius enim, cum Homerus verbo *ἔλασεν* accusativum participii adiungat, structurae 'ferit vela' dativum commodi applicare non dubitavit.

Alterius autem generis, dico dativi iudicantis subiecto indefinito, haec exempla nobis innotuerunt: Georg. III 502 (cf. p. 50), III 565 'nec longo . . . moranti / tempore . . . artus sacer ignis edebat', IV 272 'facilis quaerentibus herba' et nonnulla alia, de quibus infra disseremus. Etsi vel his locis dativi usum vulgarem vocari licere per se patet, cum nihil obstet, quin praedicatum (resistebat, edebat, facilis est) dativum sibi subiungat, tamen haud scio an consuetudo non e lingua Latina sola orta sit. Nam praeter tria exempla Varr. L. L. V 47 'huius sacrae viae pars quae est a foro eunti primore clivo', Caes. B. C. III 80 'oppidum primum Thessaliae venientibus ab Epiro', Sall. Hist. IV fr. 27 (M.) '(saxum) simile celebratae formae procul visentibus, [3]) quae potius ad duos locos Vergilianos, de quibus infra disseremus, referenda sunt, nihil eiusmodi ante Vergilii aetatem apud scriptores Latinos exstare videtur. Eundem autem usum atque Vergilius Georg. III 502 Thucydides II 49, 5 praebet *τὸ μὲν ἔξωθεν ἁπτομένῳ σῶμα οὔτ' ἄγαν θερμὸν ἦν.*

Iam vero contemplemur duos locos, quibus sermonem Graecum exemplari fuisse verisimillimum est: Aeneidos versus II 713 'est urbe egressis tumulus templumque . . . Cereris' utri generi adnumerandus sit incertum est, nam diiudicari non potest, utrum e versu antecedente subaudiendus sit dativus 'vobis' necne. Sane vel haec structura ex ipsa consuetudine Latina secundum locu-

---

[1]) Nisi hunc dativum pro genetivo esse censemus (virginis comae . . . manserunt), quem Landgrafius (p. 40) energicum vocat.

[2]) Landgraf p. 54. — [3]) cf. Schmalz p. 375.

4*

tionem 'est mihi aliquid' oriri potuit.[1]) At sermo Graecus, ut Herod. II 29 *ἀπὸ Ἐλεφαντίνης πόλιος ἄνω ἰόντι ἄναντές ἐστι χωρίον*, quem exempla antevergiliana modo laudata (Varr. L. L. V 47, Caes. B. C. III 80, Sall. Hist. IV fr. 27) imitari probabile est, similior est quam ut neglegi possit. — Audacius ne dicam insolentius alterum exemplum Aen. VIII 212 'quaerenti nulla ad speluncam signa ferebant' vocandum est. Nam cum prioribus locis dativus arte cum praedicato coniunctus sit, hic dativus participii prope ad ablativi absoluti notionem accedit. Quam ob causam contra Schmalzium (p. 375) haud iniuria hunc dativum absolutum nominari equidem censeo. Eadem fere ratione Herodotus (VII 143) dativum absolute scripsit: *ἐς τοὺς πολεμίους τῷ θεῷ εἰρῆσθαι τὸ χρηστήριον συλλαμβάνοντι κατὰ τὸ ὀρθόν.*[2]) Cum Brenousio (p. 185) igitur dativi iudicantis usum e sermone Latino natum consuetudine Graeca adolevisse iudicare cogimur.

Denique affero Aen. I 265 sq. 'tertia dum Latio regnantem viderit aestas / ternaque transierint Rutulis hiberna subactis.' Quem ad locum Kvičala (Vergilstudien Prag 1878 p. 99) figuram 'Rutulis subactis' dativum absolutum ducens haec exempla Graeca adnotat: Il. *B* 295 *ἡμῖν δ' εἴνατός ἐστι περιτροπέων ἐνιαυτὸς / ἐνθάδε μιμνόντεσσι* et Thuc. III 29 *ἡμέραι μάλιστα ἦσαν τῇ Μυτιλήνῃ ἑαλωκυίᾳ ἑπτά.* At nihil est causae, cur verborum conformationem illam non ablativum absolutum pro his 'postquam subacti sunt' scriptum ducamus.

C. De dativo verbis subiuncto.

Vergilius compluribus verbis praecipue iungendi et similibus dativum addidit, quibus prosae orationis scriptores Latini aut ablativum aut praepositionem cum ablativo applicare solebant. Scriptores Graeci eandem consuetudinem sequuntur, quoniam ablativo deficiente dativum adhibere cogebantur, ut Herod. III 131 *ὁ Δημοκήδης Πολυκράτεϊ ὡμίλησε.*[3]) Quaerendum igitur est, quatenus Vergilius vernaculum sermonem secutus sit. Verbis iungendi vel antiqui scriptores Latini dativum applicabant, ut Accius Tr. 474 'sed quem mihi iungent' et Terentius Hec. 798 'nox sibi amicos

---

[1]) Landgraf p. 52. — [2]) Kuehner-Gerth II 1 p. 424.

[3]) Kuehner-Gerth II 1 p. 430 sq.

iunget.'[1]) Simili ratione Vergilius dativum adhibuit Aen. XI 129 'te Latino iungemus regi' alibi. Cuius per analogiam facile fingere potuit Aen. IV 16 'cui me . . . vellem sociare.' Item verborum miscendi et haerendi usum, qui invenitur Aen. VIII 432 'metumque / miscebant operi' et Aen. IV 73 'haeret lateri letalis arundo', a prioribus scriptoribus Latinis accepit. Confer enim Cic. Qu. Rosc. Com. 17 'potest hoc homini huic haerere peccatum' et Enn. Var. 46 'frigori miscet calorem.'

Verbis pugnandi poeta praeter morem vulgarem dativum addidit Buc. V 8 'solus tibi certet Amyntas', Buc. VIII 55, Georg. II 99, Aen. IV 38,[2]) quem usum Brenousius (p. 146) Graecanicum vocat imprimis his locis Theocriteis commotus: Id. I 136 *κἠξ ὀρέων τοὶ σκῶπες ἀηδόσι δηρίσαιντο* et V 136 sq. *οὐ θεμιτόν, Λάκων, ποτ' ἀηδόνα κίσσας ἐρίσδειν / οὐδ' ἔποπας κύκνοισιν,* quibuscum confert Buc. VIII 55 'certent et cycnis ululae.' At etsi Vergilium loco Theocriteo ad bucolicorum versum componendum usum esse probabile videtur, praesertim cum etiam versus praecedentes (inde a. v. 52) ad Theocritum spectent, non neglegendum est prioris aetatis poetas Latinos dativum eadem ratione usurpavisse, ut Pl. Bacch. 967 'pugnam conserui seni.'[3]) Idem demonstrat Catullus, qui 62, 65 dixit: 'noli pugnare duobus', quique dativum illum non e Graeco transtulisse videtur; pendet enim eius locutio e proverbio Graeco (Plat. Leg. XI 919 B *πρὸς δύο μάχεσθαι καὶ ἐναντία χαλεπόν* et Phaed. 89 C *πρὸς δύο οὐδ' Ἡρακλῆς,*[4]) quod dativum non praebuit. Hunc autem usum proprie Latinum Lucretius simul consuetudinem Graecam imitatus (Theocr. Id. I 136 et V 136) in suum sermonem III 6 'quid enim contendat hirundo / cycnis' recepit.[5]) Simili ratione Vergilio versum Buc. VIII 55 pangenti non solum Theocriti exemplar sed etiam Lucretii ante oculos versatum esse apparet. Structura igitur e lingua Latina orta Graecorum more aucta est, sed non a Vergilio primo.

---

[1]) Kuehner-Stegmann II 1 p. 317 sqq. — [2]) Antoine p. 121.

[3]) Plaut. Trin. 839 'satis partum habeo, quibus aerumnis deluctavi' adhibere non audemus, quoniam incertum est, utrum Plautus figuram 'quibus aerumnis' dativo an ablativo expressam senserit.

[4]) Friedrich et Ellis ad Catulli locum; Otto, Sprichwörter der Römer, Leipzig 1890 p. 122.

[5]) quae exempla Brenousius (p. 144) ipse adnotat.

D. De dativo apto ex verbis passivis qui vocatur Graecus.

Tillmann, Acta sem. phil. Erlangens. II 1881 p. 71 sqq.

De usu dativi verbis passivis ad personam agentem significandam adiuncti Tillmannum secuti pauca dicamus. Cuius viri docti sententia haec consuetudo cum dativo commodi vi atque notione artissime coniuncta apud auctores Latinos ita progressa est, ut dativus primum gerundivo, deinde perfecto passivi sive participio perfecti, denique verborum passivorum formis finitis subiungeretur, quae tres rationes cunctae apud Vergilium inveniuntur v. Georg. I 313 'quae vigilanda viris' Georg. II 487 'virginibus bacchata Lacaenis / Taygeta', Aen. III 398 'cuncta malis habitantur moenia Grais.'[1]) Quem usum a plerisque scriptoribus Latinis inde ab antiquis temporibus usurpatum esse e Tillmanni exemplorum collatione cognoscas (p. 109), ubi Plauto 8, Ennio 2, Terentio 2, Catullo 11, Ciceroni 128, Sallustio 13, Vergilio 63 exempla tribuuntur.[2]) Longe plurimis locis dativus perfecto finito aut participio adiunctus est, itaque inter exempla Vergiliana 21 perfecta et 30 participia inveniuntur.

Graecis hic dativus usitatior fuit quam Romanis. Apud quos inde ab antiquorum scriptorum aetate crebro invenitur, unde immerito dativi Graeci nomen habet. Recte Gerthius (Kuehner-Gerth II 1 p. 422) affirmat dativum plerumque adiectivis verbalibus in *-τός* et *τέος* exeuntibus, saepe etiam perfecto et plusquamperfecto, raro autem ceteris verborum formis addi. Itaque vel ratio dativi cum verbis coniungendi ipsa Graecis et Romanis communis est. At etsi concedimus apud scriptores Graecos usum multo frequentiorem esse quam apud Latinos, pro magno exemplorum quae exstant antevergilianorum numero haud probabile est Vergilium multis locis sermone Graeco ad dativi usum adductum esse. Quod iis tantum locis concedendum est, quibus certum exemplum Graecum eiusdem sententiae atque Vergilianum invenitur, velut Servius

---

[1]) Qua e structura usus verborum intransitivorum quidem sed passionem significantium cum dativo adiuncto ortus est, ut Georg. II 206 'tardis decedere plaustra iuvencis' (i. e. 'devehi a iuvencis', nisi forte cum Kernio, Zum Gebr. des Ablat. bei Verg. Progr. Schweinfurt 1881 p. 32 voces 'tardis iuvencis' ablativo comitativo expressas dicere mavis).

[2]) quibus Kernius (p. 40) duo adiecit: Aen. III 512, VII 767.

ad Aen. I 440 'neque cernitur illi' adnotat: 'et est Graecum *οὐδενὶ ὁρώμενος*.[1]) Vergilius autem a sermone Homerico *τὸν δ' ἄρα Φαίηκες ναυσίκλυτοι οὐκ ἐνόησαν*, cuius auxilio (Od. *η* 37 sqq.) poetam hunc locum composuisse Deuticke recte commemorat, decessit et, nisi forte aliud exemplum nobis ignotum ei praesto fuit, de suo structuram finxit.

Unus autem locus sine dubio sermonis Graeci auctoritati tribuendus est: Georg. I 399 'dilectae Thetidi alcyones', ad quem Deuticke recte affert Theocriti illud (Id. VII 59) *ἀλκυόνες γλαυκαῖς Νηρηίσι ταί τε μάλιστα / ὀρνίχων ἐφίληθεν*. Quod exemplum probat, quam cautus poeta in eiusmodi structuris transferendis fuerit, quoniam exemplaris Graeci formam finitam in participium, cui multo saepius dativus adiungi solebat, mutavit. Quae cum ita sint, Schaeflero (p. 48) et Schmalzio (p. 375) assentimur contra Brenousium, qui (p. 154 sqq.) usum illum ponderans nimiam vim consuetudini Graecae tribuit. Analogiam autem et metricae artis necessitatem ad dativum, qui vocatur, Graecum proferendum maioris momenti fuisse quam exemplaria Graeca et Schaefler (p. 48) recte monet et Bednara (Arch. f. lat. Lex. XIV 1906 p. 570 sq.) hoc exemplo Ovidiano illustrat: P. I 2, 24 'hiemi continuatur hiems', ubi poeta dativum pro ablativo 'hieme' propter ultimam correptam a metro dactylico alieno posuit. Simili pacto Aen. IX 565 'quaesitum aut matri multis balatibus agnum' vocis 'matri' spondeum Vergilio gratum fuisse patet. Imprimis ad versus eleganter concludendos figuram aptissimam esse recte Tillmann (p. 103) animadvertit, ut 'dilecta sorori' (Aen. IV 31).

E. De dativo apto ex verbis motum indicantibus.

Landgraf, Der final-lokale Dativ, Arch. f. lat. Lex. VIII 1893 p. 69 sqq.

G. Schroeter, Der Dativ zur Bezeichnung der Richtung in der lat. Dichtersprache. Progr. Sagan 1873.

Dativi ad motus finem significandum usum, cui Vergilius praeter ceteros scriptores Latinos indulsit, inter alios viros doctos Landgrafius tam diligenter investigavit, ut Delbrueckii (Brugmann-Delbrueck III 290) laudem ferret. Agitur autem de huiusce

[1]) cf. Thuc. I 51.

generis structuris 'it clamor caelo' (Aen. V 451 et XI 192), ubi vulgo 'ad caelum' vel 'in caelum' dicitur, quarum numerum apud Vergilium haud parvum esse ex Antoinii, Landgrafii, Schroeteri, Brenousii libris cognoscas. Poetarum Graecorum Homerus eundem usum raro quidem habet,[1]) ut Il. Δ 443 οὐρανῷ ἐστήριξε κάρη καὶ ἐπὶ χθονὶ βαίνει. Quae exempla interdum ad consuetudinem Latinam alicuius momenti fuisse et Landgrafius (p. 70) et Brenousius (p. 206) iudicant. Quaeramus igitur de dativi localis usu proprie Latino. Recte Landgrafius, quem Delbrueck (p. 290) secutus est, consuetudinem origine Latinam e dativo verbo mittendi vel dandi subiuncto v. Acc. Trag. 491 'mittis leto' et Plaut. Capt. 692 'te morti misero' et Varr. L. L. VII 42 'ollus Quiris leto datus' ortam itaque sermoni Graeco natura minime tribuendam esse affirmat. Pauca ante Vergilium exstant dativi localis exempla.[2]) At iam Ennius Ann. 401 'undique conveniunt velut imber tela tribuno' consuetudinem excultam et audacem praebet, ut Vergilium multis locis ad eius exempla non tradita spectare admodum probabile sit. Ne Cicero quidem uno loco exemplar Graecum Il. Β 309 τόν ῥ' αὐτὸς Ὀλύμπιος ἧκε φόωσδε imitatus dativum localem usurpare veritus est: De div. II 64 'qui luci ediderat.'[3]) Vergilius autem primus crebro usui indulsisse videtur. At priusquam ad exempla certa accedimus, eos locos obiter tractabimus, qui, etsi primo obtutu huc spectare videntur, alia ratione explicandi sunt. Aen. XII 513 'neci mittit', Georg. II 452 '(alnus) missa Pado', Aen. II 85 'demisere neci', II 398 'multos Danaum demittimus Orco',[4]) V 691 'morti . . . demitte', X 662 'obvia multa virum demittit corpora morti', XI 206 'urbique remittunt', XII 464 'morti sternere', V 434 ('vulnera) cavo lateri ingeminant' vulgarem dativi commodi usum habent, ut Vergilius sine ulla dubitatione ad verbum fere Iliadis versum A 3 πολλὰς δ' ἰφθίμους ψυχὰς Ἄϊδι προΐαψεν / ἡρώων vertere potuerit (Aen. II 398 et X 662). Item Aen. II 688 'caelo palmas . . . tetendit' et V 233 'palmas ponto tendens' poeta tritum dativi usum adhibuit, ut

[1]) Kuehner-Gerth II 1 p. 441. — [2]) Landgraf p. 70.

[3]) Alterum affert Landgrafius exemplum: Tusc. II 20 'non saeva terris gens relegata ultimis'.

[4]) item IX 527 et 785. Dativum nominis proprii Vergilius verbo mittendi iam Georg. II 452 adiunxerat.

Caes. B. G. VII 48 'matres familiae, quae paulo ante Romanis de muro manus tendebant', et Aen. IX 681 'caelo / attolunt capita', ut Varr. R. R. III 16, 6 'eis (apibus) qui accessit', ubi verbum praepositione 'ad' compositum eadem ratione dativum sibi adsciscit. Exemplis igitur Graecis, quae Brenousius (p. 205) adnotat: Il. Δ 523 χεῖρε φίλοισ' ἑτάροισι πετάσας et Pind. Ist. V 60 (Bergk, P. l. Gr. I p. 350) ἀνατείνειν οὐρανῷ χεῖρας ad huiusmodi figuras fingendas haud opus fuit. — Ablativum autem, non dativum, ut Antoine (p. 150 sqq.) falso censet, poeta hisce locis posuit: Aen. III 509 'sternimur . . . gremio telluris' et Aen. XI 485 'sterne solo' ut Cicero Verr. III 61 'quod (triclinium) in foro Aetnae straverat', Aen. VI 686 'effusae genis lacrimae'[1]) et Aen. XII 380 (et ibid. 532) 'effunditque solo' ut Aen. XII 276 '(hasta) iuvenem . . . fulvaque effundit harena', Georg. IV 115 'figat humo plantas' ut Aen. X 701 'vertice figere cristas', Georg. I 272 'fluvio mersare salubri' ut Georg. III 447 'aries in gurgite mersatur', Aen. I 70 'disice corpora ponto' ut ibid. 128 'disiectam Aeneae toto videt aequore classem.' Locativum autem[2]) poeta scripsit Georg. II 290 'terrae defigitur arbos', Aen. XI 87 'sternimur terrae', ibid. 204 'corpora . . . terrae infodiunt.' — Denique vero adferendi sunt nonnulli loci dubii: Aen. I 126 'alto / prospiciens' et ibid. 181 'prospectum . . . pelago petit', ubi incertum est, utrum poeta ablativo loci an dativo locali usus sit. Simili ratione aut ablativus sive instrumentalis aut dativus his locis cognosci potest: Georg. IV 432 'sternunt se somno', Aen. VIII 566 'leto sternendus erat', IX 433 'volvitur leto',[3]) X 319 'deiecit leto.' — Item huc pertinet Georg. I 322 'caelo venit agmen aquarum', nam alii ut Deuticke vocem 'caelo' ablativum loci, alii

---

[1]) quod exemplum Schaeflerus p. 54 dativo tribuit.

[2]) de quo cf. Schmalzium (p. 393) et Vahlenum (ad Enn. Sc. 311).

[3]) Servius adnotat: 'aut septimus aut dativus'. Iniuria igitur Schmalzius (p. 351) instrumentalem casum apud Latinos adeo evanuisse censet, ut ne grammatici quidem antiqui eius vim senserint. Etiam Quintilianus 'casum septimum' recte cognovit, cum Instit. I 4, 26 dicit: 'quaerat etiam, sitne apud Graecos vis quaedam sexti casus et apud nos quoque septimi. nam cum dico 'hasta percussi' non utor ablativi natura, nec si idem Graece dicam, dativi.'

ut Forbiger, qui ad hunc versum adnotat: 'tendit ad caelum', et Schaefler dativum ducunt.[1])

Iam vero accedamus ad insoliti dativi localis exempla Vergiliana. Haec sunt: Aen. X 355 'caput . . . deturbat terrae', Aen. II 186 'caeloque educere iussit' (item Aen. VI 178), Aen. III 678 et X 548 'caelo capita alta ferentes', Aen. V 451 et XI 192 'it clamor caelo', Georg. II 306 'caelo sonitum dedit', Aen. VIII 591 'extulit os . . . caelo', Aen. XI 594 '(arma) feram tumulo', Georg. IV 562 'viamque adfectat Olympo', Aen. XII 263 'profundo / vela dabit', Aen. I 364 'portantur . . . pelago', Aen. II 36 'pelago . . . praecipitare', Aen. IV 564 'rursus agam pelago', Aen. XII 256 'proiecit fluvio', Buc. VIII 101 'rivo fluenti iace', Aen. IX 712 'ponto iaciunt', Aen. III 417 'venit medio . . . pontus', Aen. IV 600 'undis spargere', Aen. VIII 178 'solioque invitat', IX 676 'moenibus invitat', Aen. II 457 'ad soceros et avo puerum . . . trahebat', Aen. X 401 'Ilo derexerat hastam', ibid. 521 'Mago . . . contenderat hastam', Aen. XII 488 'huic (hastile) derigit', Aen. II 553 'lateri abdidit ensem', Aen. XI 194 'coniciunt igni' (spolia), Aen. II 47 '(machina) venturaque desuper urbi', ibid. 276 'iaculatus puppibus ignis', Buc. II 30 'gregem viridi compellere hibisco.' Qui loci cum paucis quae exstant exemplis antevergilianis comparandi non tam dativi commodi quam locativi vim habent, etsi interdum proxime ad vulgarem dativi commodi usum accedunt.[2]) Vix acriter diiudicari potest, quantopere eadem dictio Graeca usui origine Latino auxilio fuerit. Nam nullum huiusmodi invenitur exemplum, quod Vergilius manifesto secutus sit. Tamen consuetudinem Graecam aliquantum valuisse propterea verisimile est, quod Homerus et ceteri poetae epici praeter alios scriptores usui indulserunt. At structurae Vergilianae haud alienae sunt a tradito sermone Latino. Neque Vergilium primum dativo locali civitatem donavisse veterum scriptorum Latinorum sermo docet. Immo iam apud Ennium dativus audacter usurpatus nobis occurrit, ut Vergilius illi sine dubio multum debeat. Iis autem locis, quibus dativi commodi usus vulgaris invenitur, velut Aen.

---

[1]) Aen. VI 126 cum Nordeno legimus 'facilis descensus Averni', non 'Averno'.

[2]) Ita Aen. IX 712 '(pilum) ponto iaciunt' et Aen. XII 256 'praedam . . . proiecit fluvio' et Aen. XI 594.

II 398[1]) et X 662, a quibus figuris consuetudinem ortam esse apparet, poeta exemplaria Graeca ad verbum fere vertere et in suum sermonem recipere non dubitavit. Admodum etiam praepositionum taedium[2]) usui favit. Poeta enim interdum dativo locali praepositionem exemplaris Graeci effugere studuit, ut Buc. VIII 101 (cf. p. 58), quocum comparatur Theocriti versus Id. XXIV 93 sqq. (κονίν) εὖ μάλα πᾶσαν ὑπὲρ ποταμοῖο φέρουσα.

§ 5. De ablativi usu.

Brugmann-Delbrueck III p. 200 sqq.
Schmalz p. 378 sqq.
Kuehner-Stegmann II 1 p. 346 sqq.
Antoine p. 159 sqq.

Pauca de ablativi usu Vergiliano nobis dicenda sunt, quoniam hic casus apud Graecos abolevit. Sed haud scio an nusquam poetae novandi studium clarius cognoscatur quam in ablativo adhibendo. Nam cum apud prosae orationis scriptores Vergilianae aetatis ablativi vigor nativus multis notionibus ei applicatis iam adeo minui coeptus sit, ut ad varias eius significationes accurate describendas praepositionibus opus esset, quarum usus in dies adeo propagatus est, ut posterioribus temporibus ablativus omnino evanesceret, poeta ad antiquorum morem revertens crebro praepositionibus omissis ablativum purum posuit.[3]) Quae ratio ad linguae Latinae incunabula referenda cum sermone Graeco, qui similes rationes praepositionibus nomini adiectis exprimere solebat, pugnat. Quo factum est, ut Vergilius iis locis, quibus versus Graecos in suum sermonem vertit, praepositione, quam in exemplari repperit, praetermissa purum ablativum adhibuerit, quod hi loci docent: Georg. I 175 '(fagus) suspensa focis' Hesiod. Erg. 629 πηδάλιον δ' εὐεργὲς ὑπὲρ καπνοῦ κρεμάσασθαι;[4]) Aen. III 204 'erramus pelago', Od. ι 82 sq. ἔνθεν δ' ἐννῆμαρ φερόμην . . . πόντον ἐπ' ἰχθυόεντα. Quas structuras plerique scriptore, ut

[1]) cf. p. 56. — [2]) de quo p. 22 et 36 disseruimus.

[3]) Schmalz p. 378 sqq., 387, 388; Meyer-Luebke, Syntax der roman. Spr. Lpzg. 1899 III p. 57 sqq.; Antoine p. 237 sq.

[4]) Morsch p. 34.

Cicero Verr. II 3, 23 'hominem suspendi iussit in oleastro', praepositione 'in' cum ablativo coniuncta vel simili pacto effingere solebant.[1])

Praeter locos allatos unum exemplum mentione maxime dignum est: Georg. I 234 '(zona) torrida semper a b igne', quem versum Vergilius ex Eratosthenis carmine epico, quod 'Ἑρμῆς inscribebatur (v. 22 Hiller) ἡ δὲ μία ψαφαρή τε καὶ ἐκ πυρὸς οἷον[2]) ἐρυθρή sumpsit. Haec structura, qua ad causam significandam praepositio 'a' voci non personam sed rem significanti subiungitur, etsi apud alios quoque scriptores Latinos interdum invenitur, tamen usui vulgari tribuenda non est. Immo, rara eiusmodi exempla sunt, velut: Varr. R. R. I 41, 1 'ficus sequitur caldorem: a quo fit, ut in locis frigidis ficeta fieri non possint.'[3]) Graecum igitur exemplar loco illo Vergiliano effecisse, ut insolita dicendi ratio adhiberetur, nemo negabit.

Neque vero similis versus Aen. VII 378 'ceu quondam torto volitans s u b v e r b e r e turbo' sine Graeci sermonis auxilio scriptus esse nobis videtur. Eandem enim sententiam eadem structura expressam apud Callimachum invenimus Epigr. I 9 οἱ δ' ἄρ' ὑπὸ πληγῇσι θοὰς βέμβικας ἔχοντες / ἔστρεφον εὐρείῃ παῖδες ἐνὶ τριόδῳ. Vergilium autem usum Graecum imitari voluisse vel eo comprobatur, quod hoc loco ut apud Callimachum ablativus cum praepositione coniunctus vi atque notione ad instrumentalem casum accedit, quem usum rarissimum ante Vergilium nemo adhibere ausus erat nisi Lucretius IV 545 'tuba depresso graviter sub murmure mugit.'[4])

---

§ 6. De infinitivi usu.

Brugmann-Delbrueck IV p. 440 sqq.
Schmalz p. 419 sqq.
Kuehner-Stegmann II 1 p. 664 sqq.

---

[1]) v. etiam Schmalzii p. 387 adn. 2 ad § 105.

[2]) sive αἰέν, de quo cf. Regel p. 31.

[3]) Kuehner-Stegmann II 1 p. 495.

[4]) Iniuria igitur Stegmann extremis demum Latinitatis temporibus ablativum e praepositione 'sub' pendentem instrumentalis loco esse dixit (II 1 p. 571).

Kuehner-Gerth II 2 p. 1 sqq.
C. E. Bennett, Syntax of early Latin, Vol. I: The verb, Boston 1910.
Brenous p. 265 sqq.
Schaefler p. 64 sqq.
v. Steltzer, Ueber den Gebrauch des Inf. bei Verg., Progr. Nordhausen 1875.
H. Krause, De Vergilii usurpatione infinitivi Diss. Hal. Sax. 1878.
Chr. Jaenicke l. l.[1])

A. De infinitivo finali.

Infinitivus finalis verbis praecipue movendi subiunctus linguis, quae vocantur, Indogermanicis communis et a Graecis et a Latinis scriptoribus receptus est.[2]) Ita Homerus et qui eius dictionem imitati sunt scriptores crebro infinitivum finalem praebent, velut Il. *H* 372 Ἰδαῖος ἴτω κοίλας ἐπὶ νῆας / εἰπέμεν, cum apud scriptores posterioris aetatis usus structuris similibus velut participii futuri cedat.

Linguae Latinae ad consilium vel finem significandum variae structurae praesto erant, in his dativus finalis nominum, praecipue dativus gerundii, qui posterioribus temporibus gerundio cum prae-

---

[1]) cf. p. 7.

[2]) Quem usum permultos viros doctos secuti eo spectare censemus, quod infinitivus, quem natura nominis verbalis casum esse haud ignotum est, antiquitus creberrime pro dativo, qui regionem petitam et finem notat, usurpatus est (Brugmann-Thumb, Griech. Gramm.[4] München 1913 = J. v. Mueller Handbuch II 1 p. 593, Schmalz p. 420 alii). Brenousius autem (p. 266) eum cum accusativo et huiusce generis structuris velut 'id venio' (Plaut. Mil. 1158) comparans iudicat infinitivum actionem, quae verbo finito iudicatur, eadem ratione accuratius definire, qua definiat accusativus ideoque infinitivum pro accusativo habendum esse. Etsi haec sententia omnino refutari non potest, tamen antiquissimorum temporum exempla a Delbrueckio (IV p. 449 sqq. et 463 sqq.) allata infinitivum finalem antiquitus cum dativo functione artissime coniunctum esse manifesto probant. Ut exemplo utar: apud Indos nominis 'vidmán' (i. e. 'sapientia') dativus 'vidmánē' infinitivi finalis locum tenebat. Eundem autem infinitivum lingua Graeca praebet forma Ϝίδμεναι. Quapropter non dubitamus, quin infinitivus finalis dativi functione usurpatus inde ab origine Latinae quoque linguae proprius fuerit neque posterioribus demum temporibus per analogiam figurae modo allatae (Plaut. Mil. 1158) fictus sit.

positionibus 'ob, ad' similibus coniuncto evanuit. Imprimis autem supinum antiquis scriptoribus usitatum erat, ut infinitivi finalis usum longe superaret, quod permagnus locorum numerus[1]) aperte docet.

Sed praeter has structuras infinitivus finalis inde ab antiquis temporibus usurpatus est. Ita Ennius scripsit (Var. 25) 'ibant malaci viere Veneriam corollam.' Terentius his verbis infinitivum finalem subiunxit 'ire, mittere, comparare',[2]) Plautus pluribus: 'apparo' (Asin. 601), 'curro' (Asin. 910), 'recurro' (Trin. 1015), 'eo' (Bacch. 354) 'abeo' (Bacch. 900), 'mitto' (Pseud. 642) 'perrepto' (Rud. 223), 'proficiscor' (Rud. 847), 'venio' (Bacch. 631). Apud solutae autem orationis scriptores antiquos infinitivus finalis rarus est. Nam cum Cato in libro qui est de agricultura bis adhibuerit figuram 'cubitum ire' (5, 5 et 143, 2) sine dubio e consuetudine cotidiana depromptam, infinitivus finalis apud eum non invenitur praeter illud 'do bibere' (89 bis et 103), quod infra (p. 63) tractabimus. Varro verbo veniendi uno loco R. R. II 1, 1 'visere venissemus'[3]) infinitivum finalem subiunxit. Poetae optimi eandem consuetudinem interdum adhibuerunt: raro Lucretius, velut III 895 'occurrent praeripere', et Horatius (Carm. I 26, 2 (cf. p. 64 adn. 3), crebrius autem Propertius (I 1, 12; 6, 34; 20, 23, alibi),[4]) cum alienus sit a prosae scriptoribus optimis.

Augustei aevi poetae quod infinitivum finalem usurpaverunt, dubitare possumus, utrum usum a poetis superioris aetatis traditum acceperint an Graecorum morem secuti sint. At iam inquiramus in Vergilii sermonem. Haec exempla infinitivi finalis memorabilia sunt: Georg. IV 84 'usque adeo obnixi non cedere',

---

[1]) Bennet p. 453. — [2]) Bennett p. 418.

[3]) Infinitivum 'visere' invenimus apud Caelium Antipatrum fr. 12 (Peter Histor. Roman. rel. I p. 150) 'mittit visere' et apud Pisonem fr. 27 'dicitur venisse visere' (ibid. p. 132). Plautus eandem figuram his locis praebet: Cas. 855 'eximus visere', Bacch. 900, Poen. 1175, Rud. 94, Terentius Phorm. 102 'eamus visere' et Hec, 189, Turpilius denique fr. 154 (Ribb.) 'progredior visere'. Supinum 'visum' autem propterea non invenitur, quod intellegi non potest, utrum ad verbum videndi an visendi pertineat. Ac verbi bibendi supinum inusitatum est. Qua de causa nonnullorum verborum supinum deficiens infinitivo finali admodum favisse probabile est.

[4]) J. Senger, Ueber den Infin. bei Catull, Tibull u. Properz. Progr. Speyer 1886 p. 1.

Aen. I 527 'non nos aut ferro Libycos populare penates / venimus aut raptas ad litora vertere praedas', quo loco exemplar Graecum, quod poeta imitatus est, Apollon. Arg. III 386 οὔτι γὰρ αὔτως / ἄστυ τεὸν καὶ δώμαθ' ἱκάνομεν . . . τίς δ' ἂν τόσον οἶδμα περῆσαι / τλαίη ἑκὼν ὀθνεῖον ἐπὶ κτέρας[1]) eundem infinitivi usum non praebuit, Aen. XII 345 'quos nutrierat paribusque ornaverat armis / vel conferre manum vel equo praevertere ventos.' De quo loco etsi Brenousio (p. 276) sic iudicanti: graecismum manifestum esse ei apparere, qui versus Graeci vertat: οὓς ἔθρεψεν αὐτὸς καὶ ὁμοίοις ἐκόσμησεν ὅπλοις εἴτε μῖξαι χεῖρας εἴθ' ἵππῳ ἀπολιπεῖν εἴτε φθάσαι ἀνέμους assentimur, tamen exemplis supra (p. 62) allatis infinitivi finalis naturam Latinam comprobari non neglegendum est. Vergilius autem infinitivi finalis usum antiquum prosae dictionis minus proprium propterea servavisse videtur, quod in poesi epica sive Ennii sive Homeri simile quiddam invenit.[2])

Iam vero accedamus ad verbum dandi vel donandi, quod praeter accusativum obiecti infinitivum finalem sibi applicavit. Quae figura sermonis pedestris conformationi verborum illi antiquissimae 'do bibere'[3]) simillima est.

Apud Graecos usum de quo agitur creberrime inveniri sive verbo δίδωμι sive similibus adiungitur infinitivus ita non ignotum est, ut haec exempla afferre sufficiat: Il Λ 20 τόν ποτέ οἱ Κινύρης δῶκε ξεινήιον εἶναι et Thuc. II 27 τοῖς Αἰγινήταις οἱ Λακεδαιμόνιοι ἔδοσαν Θυρέαν οἰκεῖν,[4]) qui loci consuetudinem et prosae et poeticae dictioni Graecae convenire probant.

Iam perquiramus usum Vergilianum, quem sine dubio sermonis Homerici imitandi studium auxit. Ita versus Aen. V 262 '(loricam) donat habere viro decus et tutamen in armis' ad Il. Ο 532 (θώρηκα) ξεῖνος γάρ οἱ ἔδωκεν ἄναξ ἀνδρῶν Εὐφήτης /

---

[1]) Ruetten p. 34.

[2]) Quae sententia confirmatur, quod versus qui allatum (Aen. XII 345) praecedunt, ex Homeri Il. Λ 531 sqq. deprompti sunt.

[3]) Cato (cf. p. 62), Plaut. Pers. 821, Ter. Andr. 484. Schmalzius (p. 421) Ciceronem quoque hanc figuram habere affirmat. Merguet autem (Lexikon zu Cic. p. 86 et 210; Lex. zu Cic. Reden I 416 et II 140 sqq.) nullum exemplum praebet praeter hoc similis naturae: Tusc. I 65 'ut (Ganymedes) Iovi bibere administraret'.

[4]) Kuehner-Gerth II 2 p. 16 sq.

ἐς πόλεμον φορέειν δηίων ἀνδρῶν ἀλεωρήν [1]) referendus est. Simili ratione hoc loco: Aen. XII 211 '(sceptrum) patribusque dedit gestare Latinis' poeta figuram Homericam Il. *B* 107 (σκῆπτρον) αὐτὰρ ὁ αὖτε Θυέστ' Ἀγαμέμνονι λεῖπε φορῆναι vertit. Servio et Macrobio (Sat. V 3, 13) testibus totus hic locus 'ad verbum paene translatus' est ex Il. *Λ* 234 sqq. Vergilius igitur propterea structuram huic ipsi versui inseruisse videtur, quod eam proprie Homericam vel epicam duxit. Cum Il. *H* 470 χωρὶς δ' Ἀτρείδῃς Ἀγαμέμνονι καὶ Μενελάῳ / δῶκεν Ἰησονίδης ἀγέμεν μέθυ χίλια μέτρα conferas Aen. V 248 'vinaque et argenti magnum dat ferre talentum' et Aen. IX 362 '(dona) ille suo moriens dat habere nepoti.' Ad Il. *Λ* 20 autem (cf. p. 126) spectant Aen. V 538 'ferre sui dederat monumentum et pignus amoris' et ibid. 572 'esse sui dederat monumentum et pignus amoris', praesertim cum etiam versus qui alterum locum praecedunt, dico Aen. V 535 sqq., Homeri dictionem sequantur. [2]) Item huc pertinet Aen. I 319 'dederatque comam diffundere ventis', [3]) cui versui Homericum quiddam inesse Il. *Ψ* 151 Πατρόκλῳ ἥρωϊ κόμην ὀπάσαιμι φέρεσθαι docet. Denique cetera quoque exempla structura Homeri sermonem imitantur, etsi sententia ipsa ex Homeri carminibus sumpta non est. Ita Aen. V 306 sq. 'Gnosia bina dabo levato lucida ferro / spicula caelatamque argento ferre bipennem' et Aen. X 701 'armaque Lauso / donat habere umeris' ad Il. *Ψ* 512 δῶκε δ' ἄγειν ἑτάροισιν ... γυναῖκα / καὶ τρίποδ' ... φέρειν et Il. *Π* 799 τότε δὲ Ζεὺς Ἕκτορι δῶκεν / ᾗ κεφαλῇ φορέειν (πήληκα) referre licet.

Negari igitur non potest infinitivi finalis praecipue verbi dandi vel donandi usum a Vergilio propter exemplum Homeri auctum ideoque Graecanicum vocandum esse, etsi a consuetudine Latina initium cepit. Quocum Servii testimonium congruit, qui compluribus locis (ad Aen. I 319 X 701 alibi) huiusmodi structuras suo more 'figuras Graecas' vocat.

---

[1]) Falso autem Brenousius (p. 277 adn. 2) infinitivum φορέειν functione eadem esse atque accusativum ἀλεωρήν iudicat. Multum enim interest inter accusativum, qui appositionis simplicis loco voci θώρης adiunctus est, et infinitivum finalem.

[2]) Deuticke adnotat hos versus: Il. *Γ* 616 et *Ω* 234.

[3]) Simili pacto Horatium Carm. I 26, 1 sqq. 'tristitiam et metus / tradam protervis in mare Creticum / portare ventis' secundum versum Anacreonteum (56, 9 Bergk) ἐμῶν φρενῶν μὲν αὔραις / φέρειν ἔδωκα λύπας composuisse recte Brenousius (p. 277) commemorat.

B. De infinitivo apto ex verbis causativis.

Idem autem dandi verbum praeterea notione permittendi aut efficiendi usurpatum infinitivum sibi subiungit. Haec enim consuetudo verborum causativorum analogia effecta est, quibus aut hominem aut rem causam esse actionis verbalis indicatur. Graeci scriptores crebro huiusce generis verba cum infinitivo sive accusativo cum infinitivo obiecti loco,[1]) quo ad notionem complendam et accuratius describendam opus est, struebant, praecipue haec: ποιῶ, πράττω, πράττομαι, κατασκευάζω, δίδωμι similia, ut Xen. Cyr. VI 2, 29 ἡ κατὰ μικρὸν παράλλαξις πᾶσαν ποιεῖ φύσιν ὑποφέρειν τὰς μεταβολάς. — Apud Romanos autem in prosa oratione optima plurima verba causativa coniunctionem 'ut' sibi applicabant. Neque tamen hic infinitivi usus a scriptorum Latinorum sermone omnino alienus est, immo apud antiquos crebro invenitur. Nam cum Ennius hac ratione adhibuerit verba occupandi (Sc. 159) et reprimendi (Ann. 294), apud Plautum exemplorum numerus, quorum hoc adnotamus: Truc. 783 'vis subigit verum fateri',[2]) permagnus est. Terentius item complura verba usurpavit, ut Andr. 842 'animo nunciam otioso esse impero.' Sermonis Catulliani haec verba causativa cum infinitivo coniuncta Sengerum secuti (p. 5) adnotamus: infinitivum poeta addidit hisce: 'concedo, rogo, cogo, iubeo', accusativum cum infinitivo hisce: 'facio, patior, sino, perpetior, postulo.' Prosae quoque orationis scriptores vel optimi, ut Cicero, hoc sermone usi sunt, cuius nonnulla exempla infra afferemus. Unde elucet in hac consuetudine existimanda eos tantum locos Graecanicos ducendos esse, quibus poetam exemplum Graecum imitandum sibi proposuisse perspicuum est.

Iam vero perquisituri sermonem Vergilianum primum[3]) aggrediamur verbi dandi usum quatenus huc spectat. Accusativum cum

---

[1]) Accusativi enim locum hoc infinitivi genus tenet.

[2]) Bennett p. 383 sqq. et 399 sqq.

[3]) Praetermisimus Aen. II 538 'qui nati coram me cernere letum fecisti', quem ad locum Forbiger iniuria adnotat: 'graeca dicendi ratione pro 'qui fecisti ut cernerem'. Priores enim scriptores Latinos ut Ennium (Ann. 452) Varronem (R. R. III 5, 3) alios, praecipue autem Lucretium (VI 267 alibi) structurae saepius indulsisse quam Vergilium, qui nullum nisi hoc exemplum praebet, Thielmann (Arch. f. lat. Lex. III 1886 p. 180 sqq.)

infinitivo verbum sibi applicavit: Aen. III 77 '(tellurem) inmotamque coli dedit et contemnere ventos', VI 66 'da . . . Latio considere Teucros', IX 173 'quos pater . . . rectores iuvenum et rerum dedit esse magistros', XI 789 'da pater hoc nostris aboleri dedecus armis', ibid. 794 'voti Phoebus succedere partem / mente dedit.' Eandem structuram Homerus praebet[1]) Od. ι 530 *δὸς μὴ Ὀδυσσῆα . . . οἴκαδ' ἱκέσθαι.* Quem usum ante Vergilium apud scriptores Latinos non obvium Nordenus suo iure (ad Aen. VI 66) secundum Graecam illam consuetudinem fictum esse censet, qua imperativo *δός* imprimis in carminibus sacris infinitivus addi soleat. — Interdum verbum dandi dativum personae sibi applicavit, velut Aen. I 522 'o regina, novam cui condere Juppiter urbem / iustitiaque dedit gentis frenare superbas', ibid. 66 '(tibi pater) et mulcere dedit fluctus et tollere vento',[2]) Aen. V 689 '(Juppiter) da flammam evadere classi', Aen. X 61 'iterumque revolvere casus / da pater Iliacos Teucris.'[3]) Homero idem usus minus arrisisse videtur, nam nullum nisi hoc exemplum similis structurae invenimus: Od. δ 209 *Νέστορι δῶκε / αὐτὸν . . . γηρασκέμεν / υἱέας αὖ* . . . Quibus locis verbum dandi pro 'dare potestatem' vel 'dare copiam' adhibetur, ut his exemplis Graecis: Xen. Cyr. I 3, 11 *δός μοι τρεῖς ἡμέρας ἄρξαι αὐτοῦ*, ibid. III 2, 13 *καὶ δίδωμι ὑμῖν σὺν τοῖς ἄλλοις Χαλδαίοις βουλεύσασθαι.* — Dativus[4]) omittitur Aen. I 79 'tu das epulis accumbere divum', VI 697 'da iungere dextram', X 235 'et dedit esse deas aevumque agitare sub undis', XII 97 'da sternere corpus / . . . semiviri Phrygis et foedare in pulvere crinis.' Item Homerus Il. Γ 351 *δός τίσασθαι*, Φ 484 *ἔδωκε / κατακτάμεν ἥν κ' ἐθέλησθα.* — Denique autem adnotandi sunt ii loci, quibus verbi impersonalis

---

demonstravit. Qua de causa Brenousio assentiri cogimur, qui (p. 285) consuetudinem ad Graecum verbum *ποιεῖν* cum infinitivo iunctum referendam non esse recte iudicat.

[1]) Locos Homericos ex Ebelingii Lexico Homerico (s. v. *δίδωμι*) sumpsimus.

[2]) Infinitivum finalem Homerus simili loco adhibuit: Od. κ 21 sq. *κεῖνον γὰρ ταμίην ἀνέμων ποίησε Κρονίων / ἠμὲν παυέμεναι ἠδ' ὀρνύμεν ὅν κ' ἐθέλησιν.*

[3]) Eandem sententiam licet alia structura Homeri versus Od. β 144 *αἴ κέ ποθι Ζεὺς δῷσι παλίντιτα ἔργα γενέσθαι* profert.

[4]) aut accusativus.

forma 'datur' aut similes adhibentur, ut vocabuli 'licet' munere fungantur. Qui usus in Homeri carminibus non invenitur, sed interdum apud posteriores scriptores, ut Plat. Sympos. 183 C δέδοται πράττειν. Vergilius item finxit Aen. VI 688 'datur ora tueri, / nate, tua',[1]) I 409 'cur dextrae iungere dextram / non datur ac veras audire et reddere voces', ibid. 553 'si datur Italiam tendere', III 7 ubi sistere detur', VI 140 'sed non ante datur telluris operta subire', ibid. 327 'nec ripas datur horrendas et rauca fluenta / transportare prius', VII 313 'non dabitur regnis prohibere Latinis', IX 115 'maria ante exurere Turno / quam sacras dabitur pinus', Georg. I 261 'multa maturare datur.' Ut illis locis his quoque interdum sententia ad Homeri versus quosdam spectat, ut Aen. I 533 ad Od. δ 172 εἰ νῶιν ὑπεὶρ ἅλα νόστον ἔδωκεν / νηυσὶ θοῇσι γενέσθαι.

Cum Varro R. R. II 1, 26 'sed do etiam in hominibus posse novenariam retineri numerum' et Cicero De fin. IV 51 'illi autem ... non dabunt fortasse vitam beatam habere' prorsus alia ratione verbo dandi notione concedendi usurpato infinitivum sive accusativum cum infinitivo adiunxissent, Vergilius primus velut verbo causativo, cuius munere locis Vergilianis fungitur, ei infinitivum vel accusativum cum infinitivo applicavit. Qua de causa verbi dandi usum haud sine Graeci sermonis auxilio adolevisse probabile videtur. At primum exemplum Georgica praebent (I 261), quo loco passivum 'datur' infinitivum habet. Quae structura perfacile aut per ellipsin e figura 'datur copia'[2]) oriri aut pro forma 'conceditur' metro ingrata[3]) usurpari potuit. Exemplar autem Graecum poetae illo loco praesto non fuisse videtur. Neque enim Homerus eandem consuetudinem praebet. Vergilium autem prosae orationis Graecae scriptores posteriores imitandos sibi proposuisse minime probabile est. Quam ob causam eum ipsum suo Marte huius figurae exempla prima finxisse iudicandum est. Id solum conce-

---

[1]) Hoc loco poeta ab exemplaris Graeci structura: (Od. π 25) εἴσελθε φίλον τέκος ὄφρα σε θυμῷ / τέρψομαι εἰσορόων νέον ἄλλοθεν ἔνδον ἐόντα discessit.

[2]) cf. Aen. IX 484 'nec te ... adfari extremum miserae data copia matri'.

[3]) quae vel in oratione optima haud raro infinitivum sibi applicabat, velut Caes. B. G. VI 20, 3 'de re publica nisi per concilium loqui non conceditur'.

datur: figuras Vergilianas passivo effectas activi verbi structuris Homericis sententia simillimas esse, itaque activi verbi δίδωμι usum Homericum Vergilium commovisse, ut similibus structuris passivi indulgeret, nostro iure censemus. Certe autem reliqua consuetudinis exempla, dico ea, quibus activum genus infinitivum sibi adsciscit, ad Homeri sermonem epicum referenda sunt, quod etiam Servius testatur, cum ad Aen. X 235 et XII 97 adnotat: 'Graeca figura.' At neglegendum non est linguam Latinam ipsam verbo faciendi, de quo infra (p. 65 adn. 3) disseruimus, eandem fere consuetudinem praebuisse, ut Vergilius verbi dandi usu sermoni vernaculo nihil novi intulerit.

Restat, ut de nonnullis verbis causativis apud Vergilium cum infinitivo coniunctis disseramus. Brenousius enim (p. 288) iudicat eorum usum, etiamsi e Latina origine ductus sit, Graecis exemplaribus auctum esse. Itaque singula verba enumerabimus, ut appareat plurimis figuris auxilio Graeco opus non fuisse.

instituo Buc. II 32 'Pan primum calamos cera coniungere pluris / instituit (item Buc. V 29 et Georg. I 147). Cui verbo, licet alia notione usurpatum sit, Plautus (Bacch. 1082)[1]) 'ego dare me gnato institui' et Terentius (Ad. 38) et Lucretius (II 849) infinitivum subiunxerunt. Incitamentum igitur novi usus poetae praesto fuit et insuper notione docendi, quae apud Vergilium in verbo inest, facile infinitivi usus effici potuit.

patior (Buc. I 37) 'pendere patereris', Aen. VIII 577 alibi et

sino (Buc. VIII 12 alibi) vel apud optimos orationis prosae scriptores infinitivum sibi applicaverunt, ut Cic. Brut. 263 et Caecin. 64.

concedo Aen. III 700 'concessa moveri.' Genus passivum item adhibuerunt Caesar B. G. VI 20, 3 'loqui non conceditur' et Cicero Tusc. IV 66, cum genus activum Lucretius (I 831) ante Vergilium eadem ratione usurpaverit.

permitto Buc. I 10 'ludere permisit', Aen. IX 240 alibi. Item Cicero Verr. V 22.

adnuo Aen. XI 19 sq. 'ubi primum vellere signa / adnuerint superi pubemque educere castris.' Quod verbum prope ad acriorem imperandi significationem accedit, ut figura verbi iubendi analogiae

---

[1]) Antiquae Latinitatis exempla Bennetti libro debemus.

tribuenda sit. Contrarium 'abnuo' apud Ennium (Ann. 279) infinitivum sibi applicavit; accusativum cum infinitivo verbo adnuendi notione assentiendi usurpato Ennius (Ann. 133) et Plautus (Bacch. 187) adiecerunt.

oro Buc. II 43 'iam pridem a me illos (capreolos) abducere Thestylis orat', Aen. VI 313 'stabant orantes primi transmittere cursum', Aen. IX 231 'tum Nisus et una / Euryalus confestim alacres admittier orant.' Buc. II 43 Vergilium infinitivum non Graeco exemplari debere versus Theocriteus docet, Id. III 35 (αἶγα) τάν με καὶ ἁ Μέρμνωνος ἐριθακὶς ἁ μελανόχρως / αἰτεῖ. Servius adnotat: 'orat abducere, orat ut abducat: figuratum est ut donat habere id est donat ut habeat' et ad Aen. VI 313: 'figura Graeca est: ut primi transirent.' Hunc igitur infinitivi usum finalem existimans ex verbi donandi sive dandi structura Graecanica ortum esse censet. Sane negari non potest haec dicendi genera natura inter se simillima esse. Servio igitur assentiendum videtur. At poetae etiam structurae vere Latinae ante oculos versari potuerunt, ut Catulli (35, 10) 'puella manusque collo / ambas iniciens roget morari.' Vix igitur acriter diiudicari posse censemus, utrum Latinae consuetudinis analogia an Graeci sermonis exemplum velut Il. Z 176 ᾔτεε σῆμα ἰδέσθαι in verbi orandi usu fingendo praevaluerit.

exposco Aen. IV 78 'audire exposcit.' Simili ratione verbum postulandi apud Ennium (Sat. 59), Catonem (fr. Jordan 39, 12) Plautum (Rud. 394 'quam liberam esse oporteat servire postulare'), Terentium (Andr. 657) infinitivum sibi applicavit. [1])

suadeo (Buc. I 55, Georg. IV 264, Aen. I 357, X 367 alibi) apud Ciceronem eadem ratione usurpatum invenitur De orat. I 59, 251 'nemo suaserit . . . adulescentibus . . . histrionum more elaborare' (item De fin. II 95). Nihil igitur esse censemus cur locum Buc. I 55 '(saepes) saepe levi somnum suadebit inire susurro' cum Brenousio (p. 297) consuetudini Graecae, ut Herod. VIII 19 παραίνεέ τε προειπεῖν, tribuamus.

monstro Aen. IX 44, IV 497 'abolere nefandi / cuncta viri monimenta iuvat monstratque sacerdos, quae figura verbi 'iuvat'

---

[1]) Huc non pertinet Aen. VIII 12 'et fatis regem se (Aenean) dicere posci (Venulus) edoceat', quippe cuius versus sententia sic explicanda sit; edoceat Aenean dicere se fatis regem posci.

usu vulgari effecta est. Ante Vergilium Lucretius verbo monstrandi V 1106 'vitam . . . commutare monstrabant' infinitivum addidit.

moneo Buc. IX 15 et

admoneo Aen. IX 109 'Turni iniuria Matrem / admonuit ratibus sacris depellere hostem.' Quibus verbis vel Cicero infinitivum subiunxit: Inv. II 66 'officium conservare moneat' (et Cael. 34). Item Sallustius (Iug. 19, 2).

hortor Aen. II 74 'hortamur fari' alibi. Item Cicero verbo addidit infinitivum Sest. 7 'minora relinquere hortatur.'

invito Georg. IV 23 et Aen. V 485 'Aeneas celeri certare sagitta / invitat', quem locum poetam secundum Homeri exemplar Il. ψ 854 (πέλειαν) ἧς ἄρ' ἀνώγει τοξεύειν finxisse constat, praesertim cum et versus praecedentes et insequentes Homerum (ψ 850 sqq.) imitentur. Atqui Vergilium consuetudinem Latinam secutum esse et Georgicon locus et L. Afranii (19 Ribb.) exemplum 'ieientare nulla invitat' docet.

impero Aen. VII 35 'flectere iter sociis . . . imperat.' Verbo poeta infinitivum cum dativo obiecti subiunxit. Sallustius Iug. 47, 2 dativo omisso infinitivum nudum posuit 'frumentum comportare imperavit', item Terentius alii, de quo cf. Bennett p. 385.

iubeo. Verbum infinitivum sine obiecto sibi applicat: Aen. VIII 646, III 472, Buc. IV 33 aliis locis, vicies sexies, cum tricies octies secundum usum vulgarem accusativum cum infinitivo recipiat. Simili ratione verbum

vetandi Georg. I 270, Aen. I 541, XII 806 cum infinitivo nudo coniungitur. Quae consuetudo rei militaris sermone fulcitur (ut Aen. VIII 498 'signa ferre iubent'), ubi accusativus subiecti plerumque non exprimitur, cum milites iuberi consentaneum sit. Ita ceteris quoque locis, quibus poeta verbo iubendi infinitivum nudum applicavit, subiectum aut e versibus praecedentibus subauditur aut per se patet. Ne ab optima quidem oratione soluta usus abhorret, cum Caesar scripserit: 'arma ponere iusserunt' (B. G. IV 37, 1) et Cicero (Sen. 12) 'consul imperiosius exire ex urbe iussit', (Leg. agr. II 72) 'referre in aerarium lex vetat' alibi. Simili ratione Vergilius etiam Georg. III 295 'stabulis

edico in mollibus herbam / carpere ovis . . . / et multa duram stipula felicumque maniplis / sternere supter humum',[1]) ubi accusativum cum infinitivo et infinitivum nudum, ad quem aliud subiectum subaudiendum est, uni verbo subiunxit.

impono Aen. VIII 409 'cui tolerare colo vitam tenuique Minerva / impositum.' Quamquam tria exemplaria Graeca Vergilio praesto fuerunt: Il. *M* 434 ἥ τε σταθμὸν ἔχουσα καὶ εἴριον ἀμφὶς ἀνέλκει et Apollon. Rhod. Arg. IV 1062 sqq. οἷον ὅτε κλωστῆρα γυνὴ ταλαεργὸς ἑλίσσει et Argon. III 291 sq. ὡς δὲ γυνὴ . . . τῇπερ ταλασήια ἔργα μέμηλεν,[2]) infinitivum suo Marte posuit. Vergilius primus verbum imponendi ita adhibuit analogia figurarum commotus, ut Ennii Ann. 571 'decretum est stare et fossari corpora telis' et Plauti Aul. 572 'bibere decretum est.'

impello Aen. I 10 '(virum) tot adire labores impulerit', II 55, 520. Verbum his locis primum cum infinitivo adiuncto invenitur, cum verbum cognatae notionis:

stimulo Aen. IV 575 'tortos incidere funis . . . stimulat' iam Lucretius IV 190 'stimulatur fulgere fulgur' usurpaverit. Licet Lucretio exemplar Graecum praesto fuerit, non est, cur structuram Graecanicam vocemus. Immo per analogiam similium verborum causativorum sermonis varii studio effecta est. Idem iudicandum est de hoc loco:

(praecipito) Aen. XI 2 '(Aenean) sociis dare tempus humandis / praecipitant curae.' Ante Vergilium verbum eadem ratione usurpatum non est.

adigo Aen. VI 696 'limina tendere adegit' et VIII 113. Item trag. Rom. frgm. inc. 249 (Ribb.) 'quaenam te adigunt hospes / stagna capacis visere Averni.'

agito Aen. IX 186 'invadere . . . mens agitat', qua figura poetam illud θυμὸς ἀνώγει (Od. λ 204 alibi) vertere studuisse probabile est. Simili sensu idem verbum apud Plautum cum infinitivo coniunctum nobis occurrit Rud. 936 'magnas res agito in mentem / instruere'. Quorum per analogiam verbum

---

[1]) Nec vero huc pertinet Aen. XI 463 'armari Volscorum edice maniplos' (sic cod. P. et Ribb. [ed. mai.], qui suo iure monet: 'quod praefero ne quatuor deinceps versus in -is terminent', contra codd. MR, qui habent 'maniplis'), quia hic ut Georg. III 295 vulgaris accusativi cum infinitivo structura usurpata est verbi iubendi analogia adducta.

[2]) Richter p. 29.

agendi Aen. III 4 'quaerere terras . . . agimur', ibid. 682, VII 239, 393 a Vergilio primo cum infinitivo coniunctum esse videtur.

cogo: Buc. II 7 alibi. Structura optimae orationi solutae convenit (Cic. pro Cael. 67 'illud vero respondere cogam' alibi). Sed accedit poetae studium imitandi exemplaris Graeci. Nam Buc. II 7 'mori me denique coges' eum Theocriti verba (Id. III 9) ἀπάγξασθαί με ποιήσεις vertere patet.

subigo Georg. III 218 'cornibus inter se subigit decernere amantis', Aen. III 257, V 795, VI 567 'subigitque fateri', ut Plautus Truc. 783 'vis subigit verum fateri.' Quos duos locos Nordenus haud iniuria ad Ennii sermonem referendos esse monet. Eundem autem verbi usum Lucilius (fr. 1044 Marx) et Lucretius (III 1076 alibi) praebent.

moveo Georg. I 457 'moveat convellere funem' ut Lucretius V 1400 'caput atque umeros plexis redimire coronis / floribus et foliis lascivia laeta movebat.'[1])

prohibeo Georg I. 500 'iuvenem succurrere saeclo / ne prohibete', Aen. V 631, VI 606, 807 alibi. Qui usus optimae orationi solutae proprius est, ut Cicero eum adhibuerit Tusc. III 60 'necessitas . . . cum deo pugnare prohibet' aliis locis. Hanc ipsam ob causam Vergilium Aen. III 379 'prohibent nam cetera Parcae / scire Helenum farique vetat Saturnia Iuno' Apollonii Rhodii sermonem secutum esse probabile est: Arg. II 311 οὐ μὲν πάντα πέλει θέμις ὔμμι δαῆναι / ἀτρεκές.

Haec igitur sunt verba causativa, quibus Vergilius infinitivum obiecti aut accusativum cum infinitivo addidit. Quorum nonnulla primus ita adhibuit. Omnia autem et notione et vi cum iis verbis, quae apud superiores scriptores infinitivum sibi applicabant, coniuncta sunt. Quibus quantum debeatur ex exemplis allatis elucet. Quid insuper ad Ennium referendum sit, diiudicari non potest. Credibile autem est illos locos, quibus consuetudo Ver-

---

[1]) Sic enim codices exhibent; Marullus in 'monebat' mutavit, quem plurimi huius aetatis viri docti secuti sunt. Reichenhardt autem (Der Inf. bei Lucr., Act. sem. Erlang. IV p. 468) codices sequi oportere recte monet, praesertim cum haec lectio sermone Vergiliano fulciatur. Iniuria igitur Schmalzius (p. 422) Vergilium primum verbo movendi infinitivum addidisse censet.

giliana cum sermone Plautino congruit, Ennio adscribendos esse.[1] — Linguam igitur Graecam ad verborum causativorum usum proferendum vix quicquam Vergilio attulisse praeter verbi dandi usum, de quo conferas p. 67 sq., contra Brenousii sententiam censemus. Nam ne unum quidem exstat exemplum Graecum, e quo poeta novam structuram sumpserit. At compluribus locis exemplar Graecum imitatus infinitivum de suo adiecit. Iis autem locis, quibus sermone Graeco ad infinitivi usum adductus est, aut figuram sermoni Latino tritam adhibuit, ut Aen. III 379[2]) et Buc. II 7,[3]) aut structuram usurpavit (ut Aen. V 485,[4]) quam iam antea (Georg. IV 23) sine consuetudinis Graecae auxilio finxerat. Omnino Vergilius hoc infinitivi usu sermonem Latinum secutus est, quem interdum analogia auxit. Verborum enim copiae et dictionis dignae studium poetas commovit, ut praeter solita alia verba eadem ratione cum infinitivo coniungerent. Neque insolens est, quod Aen. IV 78 Vergilius finxit 'Iliacos demens audire labores / exposcit', ut Didonis vehementiam atque ardorem dilucide describeret, cum iam apud Terentium similis structura nobis occurrat: 'mane dum, hoc prius scire expeto' (Haut. 890). Sermonem Latinum ipsum novas figuras peperisse eo confirmatur, quod Servius praeter Aen. VI 313[5]) nusquam huiusce generis figuras Graecas vocat.

C. De infinitivo aliis verbis subiuncto.

Frequentissimus est usus infinitivi aliis verbis subiuncti et apud Graecos et apud Latinos. Quorum verborum vis propria ubi infinitivus additur adeo attenuata est, ut iis illo ad notionem complendam et accurate describendam opus sit, et ut ipsa verborum auxiliarium significationem debilitatam accipiant.

Graeci quidem scriptores inde ab Homeri aetate ea verba cum infinitivo iungebant ita quidem, ut eorum numerus in dies cresceret. Quorum nonnulla affero: *βούλομαι, μέλλω, σπεύδω, πειράω, τολμῶ, δύναμαι*[6]) quae hoc fere modo usurpabantur: Herod. VI 100 *ἐβουλεύοντο ἐκλιπεῖν τὴν πόλιν.*

---

[1]) cf. Nordenum (ad Aen. VI 567). — [2]) cf. p. 72.
[3]) cf. p. 72. — [4]) cf. p. 70.
[5]) Quo de loco cf. p. 69. — [6]) Kuehner-Gerth II 2 p. 5 sqq.

Idem infinitivi usus in lingua Latina iam antiquis temporibus ut hereditate relictus et apud poetas et apud solutae orationis scriptores invenitur. Poetae scilicet maiore licentia eo utebantur. Exemplorum a Bennettio (p. 399 sqq.) diligentissime allatorum nonnulla proponimus: Enn. Ann. 588 ‘adgretus fari’, Plaut. Aul. 248 ‘metuit congrediri’, Cat. Agr. 20, 1 ‘eo plumbum effundere caveat.’ Neque vero ab optima dictione Latina usus alienus est, quoniam Cicero permulta verba ita scribere non dubitavit. [1])

Iam vero perscrutemur singula verba a Vergilio cum infinitivo coniuncta, ut cognoscamus, quid consuetudini Graecae adscribendum sit. [2])

I. Verba, quibus ante Vergilium prosae orationis scriptores infinitivum subiunxerunt:

A. Verba cupiendi vel studendi aut contrariae notionis.

ardeo Aen. I 514 ‘avidi coniungere dextras ardebant’ alibi, ut Sall. Iug. 39, 5 ‘mederi fraternae invidiae animo ardebat.’

cupio Buc. VI 7 ‘dicere laudes . . . tuas cupiant’, ut Enn. Ann. 252 ‘alter nare cupit’, Plaut. Aul. 771, Ter. Eun. 145, Lucret. I 70, Cic. Att. IV 2, 4.

opto Georg. II 42 ‘non ego cuncta meis amplecti versibus opto.’ Homerus, cuius versum Il. *B* 488 πληθὺν δ' οὐκ ἂν ἐγὼ μυθήσομαι οὐδ' ὀνομήνω Vergilius vertit, aliam structuram praebet. Item Aen. VI 501 ‘quis tam crudelis optavit sumere poenas’ poeta infinitivum Homeri dictione neglecta (Od. λ 397 sqq.) de suo addidit. Eadem ratione atque Vergilius Plautus Asin. 608 ‘me morti dedere optas’, Terentius Hec. 651, Cicero Verr. V 183 verbum usurpaverunt.

curo Aen. III 451 ‘(virgo) numquam . . . volitantia prendere . . . nec revocare situs aut iungere carmina curat’ alibi, ut Lucilius (fr. 593 Marx) ‘Persium non curo legere’, Cato (Agr. 141, 1) Cicero (De or. I 91).

---

1) Kuehner-Stegmann II 1 p. 667 sqq.

2) Verbis adiecimus exempla scriptorum priorum; Enniana secundum Vahleni editionem adscripsimus. Verba tritissima ut ‘volo, nolo, malo’ similia praetermisimus. Locos Lucretianos e Reichenhardti commentatione, Ciceronianorum plurimos e Mergueti thesauro verborum Ciceronianorum hausimus. Antiquorum scriptorum exempla Bennettio debemus.

contendo Aen. I 158 ‘Aeneadae . . . litora cursu / contendunt petere.’ Item Lucretius IV 94 et Cicero Planc. 96 ‘Brundisium petere contendi.’

conor Aen. III 25 alibi secundum totius Latinitatis usum, ut Enn. Sc. 14, Plaut. Trin. 1150 ‘quod conatus sum agere’, Cic. Cluent. 160. Duobus autem locis praeterea exemplum Graecum poetam commovisse probabile est, ut infinitivum scriberet: Georg. I 281 ‘ter sunt conati imponere Pelio Ossam / scilicet atque Ossae frondosum involvere Olympum’, ut Od. λ 315 *Ὄσσαν ἐπ᾽ Οὐλύμπῳ μέμασαν θέμεν, αὐτὰρ ἐπ᾽ Ὄσσῃ / Πήλιον εἰνοσίφυλλον* et Aen. II 792 ‘ter conatus ibi collo dare bracchia circum / ter frustra comprensa manus effugit imago’ ut Od. λ 204 *αὐτὰρ ἔγωγ᾽ ἔθελον φρεσὶ μερμηρίξας / μητρὸς ἐμῆς ψυχὴν ἑλέειν κατά τε θνηυίης / τρὶς μὲν ἐφωρμήθην, ἑλέειν τέ με θυμὸς ἀνώγει.*

tempto Aen. I 721 ‘temptat praevertere . . . resides animos’ et Aen. XII 104. Item Pacuvius 95 et Lucretius V 1067 et Caesar apud Cic. ad Att. IX 7 C (Tyrell and Purser, The correspondance of Cicero vol. IV p. 86) ‘temptemus hoc modo si possumus omnium voluntates recuperare et diuturna victoria uti’, quem ad locum editores Britanni recte adnotant verba ‘si possumus’ fortasse pro parenthesi habenda et infinitivos ad ‘temptemus’ referendos esse.

festino Georg. IV 117 ‘terris festinem advertere proram’ ut Cic. Att. III 26 ‘fugere festinans.’

propero Georg. I 224 ‘properes anni spem credere terrae’ alibi, ut Plaut. Bacch. 1049 ‘properem perdere’, Ter. Phorm. 436, Lucr. V 297, Cic. Brut. 232.

cunctor Aen. IV 390 ‘multa metu cunctantem et multa volentem dicere’ infinitivo *ἀπὸ κοινοῦ* posito. Conferas Acc. 72 (Ribb.) et Cic. Tim. 10 ‘non est cunctandum profiteri.’

cesso Buc. I 58 ‘nec gemere . . . cessabit’, Aen. XI 138 alibi, ut Plaut. Trin. 1135 ‘quid ego cesso hos conloqui’, Ter. Andr. 845, Lucr. II 1146, Cic. in Pis. 59.

dubito Georg. II 29 ‘dubitat terrae . . . mandare cacumen’ alibi, ut passim in oratione vulgari.

moror Buc. VIII 106 ‘ferre moror’, ut Cic. Phil. V 33 ‘cui bellum inferre moremur’ et

nil moror Aen. XI 365 ‘esse / nil moror’, ut Plaut. Capt. 16 ‘alieno aere uti nil moror.’

caveo Buc. IX 25 'occursare capro caveto' versus Theocritei structura neglecta Id. III 4 sq. τὸν Λιβυκὸν κνάκωνα φυλάσσεο μή τυ κορύψῃ[1]) poeta finxit Catonem (cf. supra p. 74) aut Sallustium (Iug. 64, 2) ut videtur secutus.

metuo Georg. I 246 'Arctos Oceani metuentes aequore tingui.' Duo exempla Graeca poetae praesto fuerunt: Arat. 48 ἄρκτοι κυάνεου πεφυλαγμέναι Ὠκεανοῖο et Hom. Il. Σ 489 οἴη δ' ἄμμορός ἐστι λοετρῶν Ὠκεανοῖο. Neutrum infinitivi usum praebuit. Item ut Vergilius verbo metuendi infinitivum applicaverunt Plautus Aul. 248 'metuit congrediri', Lucretius III 773, auctor ad Herennium IV 18, 25 'cum iis in campo metuimus dimicare.'

timeo Aen. VI 324 'Stygiamque paludem / di cuius iurare timent et fallere numen.' Qui versus Homeri verba solute ac libere imitatur: Od. ε 185 Στυγὸς ὕδωρ ὅς τε μέγιστος / ὅρκος δεινότατός τε πέλει μακάρεσσι θεοῖσι. Infinitivum item adhibuerunt Varro Sat. Men. Sexagessis fr. XIV (Buecheler Petron² p. 217 fr. XX) 'revocare timemus' et Cicero Q. Rosc. 4.

horreo Aen. II 12 'animus meminisse horret' et Aen. XI 636, ut Cic. Har. resp. 37 'aspicere . . . horruit.'

fugio Aen. IX 199 'mene . . . socium adiungere rebus . . . fugis' et

refugio Georg. I 177 'ni refugis tenuisque piget cognoscere curas' infinitivo ἀπὸ κοινοῦ posito. Item Lucretius I 1052 et Cicero De or. III 153 'neque enim fugerim dicere' et Phil. XIV 3, 9 'refugit animus . . . eaque dicere reformidat.'

vereor Aen. VI 613 'nec veriti dominorum fallere dextras.' Item Cicero Ep. VI 6, 6 'veritus sum deesse Pompeii saluti.'

recuso Aen. II 126 'recusat / prodere . . . quemquam' alibi, ut Cic. in Pis. 57 'recusantem bellum recipere.'

nego. Georg. III 207 sq. 'negabunt / verbera lenta pati', Aen. IV 428, ut Plaut. Cas. 573, Ter. Andr. 358, Cic. Ep. II 17, 7 'ut alariis Transpadanis uti negarem.'

B. Verba sentiendi, constituendi, similia.

meditor Aen. I 673 'cingere flamma reginam meditor', ut Ter. Ad. 896 et Cic. Phil. II 116 'multos annos regnare meditatus.'

---

[1]) Richter p. 26 sq.

memini Buc. VIII 88 'nec . . . meminit decedere nocti', Georg. I 400 alibi, ut Plaut. Stich. 60, Ter. Eun. 340, Cic. Att. XV 26, 5 'memineris excusare tarditatem litterarum mearum.'

statuo Georg. III 73 'statues submittere', ut Cic. Verr. IV 64 statuerunt id secum in Syriam reportare' alibi.

constituo. Aen. I 309 'quaerere constituit', quem versum poeta secundum Homeri exemplar Od. κ 144 sqq. finxit. Infinitivum autem de suo addidit Terentium (Phorm. 676) Lucretium (II 849) Ciceronem (Verr. III 149 'nisi forte negare omnia constituisti') imitatus.

decerno Aen. IV 475 'decrevitque mori.' Item Terentius Andr. 219, Lucilius 41, Cic. Phil. V 4 'si quidem legiones decreverunt senatum defendere' infinitivum usurpaverunt.

iuro Aen. IV 426 'Troianam exscindere gentem . . . iuravi', ut Cato ex Plin. Nat. Hist. 29, 7, 14 [1]) 'iurarunt inter se barbaros necare omnis medicina.'

coniuro Georg. I 280 'coniuratos caelum rescindere fratres.' Simili pacto Caes. B. G. III 8, 3 'inter se coniurarunt nihil nisi communi consilio acturos eundemque omnis fortunae exitum esse laturos' et Sall. Cat. 52, 24 'coniuravere . . . cives patriam incendere.'

C. Verba incipiendi, desistendi, similia.

aggredior Aen. II 165 'adgressi avellere Palladium' alibi, ut Enn. Ann. 588, Lucr. V 167, Cic. Inv. II 74 'adgrediatur id improbare.'

ingredior Aen. XI 704 'versare dolos ingressus.' Item Cic. Att. XV 11, 2 'quomque ingressus essem dicere.'

adorior Aen. VI 397 'dominam . . . deducere adorti.' Item Lucr. III 515, Cic. De or. II 205 'si convellere adoriamur.'

ordior Aen. V 125 'orsa loqui vates', ibid. 562, ut Plaut. Trin. 1136 et Cic. Brut. 301 'cum orsus esset . . . dicere.'

paro Aen. III 248 'bellumne inferre paratis / et patrio harpyias insontis pellere regno.' Simili modo Apollon. Arg. II 288 οὐ θέμις . . . ξιφέεσσιν ἐλάσσαι Ἁρπυίας. [2]) Sed praeter hunc locum Vergilius infinitivum adhibuit, quem Graeca exempla non

[1]) H. Jordan Catonis quae exstant p. 77, 6.

[2]) Ruetten p. 8.

habent, Aen. IV 238 'parere parabant' (Hom. Od. ε 43 οὐδ' ἀπίθησε) et Buc. II 72 'quin tu aliquid saltem potius . . . / viminibus mollique paras detexere iunco' (Theocr. Id. XI 73 αἰκ ἐνθὼν ταλάρως τε πλέκοις καὶ θαλλὸν ἀμάσας / ταῖς ἄρνεσσι φέροις). Ante Vergilium verbo parandi infinitivum applicaverunt Ennius Ann. 459, Lucretius II 643, Cicero Att. V 20, 7 'litteras mittere parabam.'

apparo Aen. XI 116 'si pellere Teucros / apparat', X 453 alibi. Item Plaut. Asin. 434 et Caes. B. G. VII 26, 3 'hoc facere noctu apparabant.'

adsuesco Georg. I 42, Aen. VIII 517, XI 495 'adsuetus aquae perfundi flumine', quod Servio teste (ad Aen. XI 492) secundum Homeri exemplar Il. Z 508 εἰωθὼς λούεσθαι dictum est. Scriptorum Latinorum plurimi antea verbo infinitivum subiunxerant, ut Plautus Asin. 887 et Cicero Fin. I 11 'legere adsueverit.'

pergo Aen. VI 198 'quo tendere pergant' et XII 586, ut Plaut. Amph. 262, Ter. Phorm. 194, Cic. De or. II 290 'iter reliquum conficere pergas.'

desisto Aen. XII 60 'desiste manum committere Teucris.' Item Plaut. Bacch. 1171, Ter. Andr. 660, Lucr. III 970, Cic. Sest. 132 'de me agere non destitit.'

parco Buc. III 94 'parcite, oves, nimium procedere' et Aen. III 42. Item Plaut. Pers. 312, Ter. Hec. 282, Cat. Agr. I 1 'neve opera tua parcas visere', Lucr. I 667 (reparco). Non debebat igitur Deuticke conferre Graecum illud φείδεσθαι cum infinitivo coniunctum.

D. Verba sciendi valendi similia.

scio Georg. IV 489 'scirent si ignoscere Manes', Aen. I 63 alibi, ut Plaut. Capt. 850, Ter. Phorm. 79, Cat. Agr. V 4, Cic. De or. II 91 'nec deligere scivit.'

nescio Georg. III 84 'stare loco nescit.' Item Enn. Sc. 234, Plaut. Bacch. 581, Ter. Ad. 77, Cic. Rep. I 11 'rem publicam regere nesciant.'

novi Aen. VIII 317 'componere opes norant', ut Enn. Sc. 146 et Caton. 36, 9 (Jordan) 'ceteros sequi si norit.'

disco Buc. IV 42 'nec varios discet mentiri lana colores alibi. Item Plaut. Amph. 687, Ter. Ad. 125, Lucr. V 1407, Cic. Quinct. 44 'Q. Hortensius contra caput non didicit dicere.'

II. Verba, quibus ante Vergilium poetae soli infinitivum subiunxerunt.

A. Verba cupiendi et studendi aut verba contrariae notionis.

certo Georg. II 99, Aen. IV 443 'quercum Alpini Boreae ... / eruere inter se certant', ut Hom. Il. *Π* 765 sq. *ὡς δ' εὐρός τε νότος τ' ἐριδαίνετον ἀλλήλοισιν / οὔρεος ἐν βήσσῃς βαθέην πολεμιζέμεν ὕλην.* At Vergilio Latinorum quoque scriptorum usus praesto fuit, ut Ennii Ann. 445, Lucretii V 393, Ciceronis De div. I 7, 13 'certant Neptuno reddere voces.' [1])

tendo Aen. 220 'tendit divellere nodos' alibi. Item Lucr. V 728 'artem convincere tendit.' [2])

experior Buc. VIII 66 'coniugis ut magicis sanos avertere sacris / experiar sensus' secundum Theocr. Id. II 3 *ὡς τὸν ἐμοὶ βαρὺν εὔντα φίλον καταδήσομαι ἄνδρα.* Infinitivum Vergilius de suo addidit, quem antea Plautus Capt. 425, Terentius Phorm. 538, Lucretius V 1309 'expertique sues saevos sunt mittere in hostes' adhibuerant.

peto Aen. VII 96 'ne pete sociare', ibid. 238 alibi. Item Lucretius III 86 'vitare Acherusia templa petentes.' Quae structura perfacile verbi optandi analogia effici potuit.

quaero Aen. IV 631 'quaerens abrumpere lucem' alibi, ut Lucr. IV 1097 'bibere quaerit.' [3])

gaudeo Aen. II 239 'funemque manu contingere gaudent.' Item Ter. Ad. 254 'beneficium accipere gaudeas' et Acc. 31 (Ribb.).

B. Verba sentiendi, constituendi, similia.

dignor Buc. VI 1 '(Thalia) dignata est ludere', Aen. IV 192 alibi. Eodem modo infinitivum usurpavit Accius 447 (Ribb.) 'exuvias dignavi Atalantae dare.'

---

[1]) Quem versum Cicero e Quinti fratris opusculo, quod erat de prognosticis, hausit.

[2]) cf. etiam verbum contendendi supra p. 75.

[3]) Prosae orationis exemplum: Cic. De inv. II 77 incertius est quam ut adferre liceat.

C. Verba incipiendi, desistendi, similia.

insto Aen. II 627 '(ornum) bipennibus instant / eruere' et X 118.[1]) Item Pacuvius 249 (Ribb.) et Lucretius V 298 'tremere ignibus instant' infinitivum usurpaverunt.

infit Aen. XI 242 'farier infit.' Quae figura apud Plautum quoque Asin. 343 'infit percontarier' et Bacch. 265 'infit dicere' et Lucretium V 1206 'caput erigere infit' obvia admodum de Ennii dictione admonet.[2])

D. Verba sciendi valendi similia.

valeo Buc. IX 38 'si valeam meminisse.' Item Lucr. I 630 'reparare valeret' alibi. Vergilii liberam imitandi rationem haec exempla Graeca docent: Il. *ψ* 865 *ὄρνιθος μὲν ἅμαρτε*, quocum conferas Aen. V 509 sq. 'avem contingere ferro / non valuit', et Il. *Π* 102 *Αἴας δ' οὐκέτ' ἔμιμνε*, ad quod referendum est Aen. IX 806 'ergo nec clipeo iuvenis subsistere tantum / nec dextra valet.'

III. Verba, quibus Vergilius primus infinitivum applicavit.

A. Verba cupiendi et studendi aut contrariae notionis.

abnego Georg. III 455 'medicas adhibere manus ad volnera pastor / abnegat.' Eadem ratione verbum negandi saepissime usurpatum est (v. p. 76).

differo Aen. VI 569 'subigitque fateri / quae quis apud superos furto laetatus inani / distulit (sc. fateri) in seram commissa piacula mortem.' Cui structurae praeter similium verborum dubitandi et cunctandi usum hoc loco verbi subigendi analogia favit.

musso Aen. XI 345 'sed dicere mussant.' Confer verbi cunctandi usum.

erubesco Buc. VI 2 'prima Syracosio dignata est ludere versu / nostra neque erubuit silvas habitare Thalia.' Quae figura facile secundum verbum verendi effici potuit. Hoc loco etiam concinnitatis studium multum valuit.

fido Aen. V 69 'fidit committere pugnam.' Item verbum conandi usurpabatur (cf. p. 75).

---

[1]) Locus dubius hic est: Aen. I 423 'instant ardentes Tyrii: pars ducere muros / molirique arcem et manibus subvolvere saxa / pars optare locum tecto et concludere sulco'. Nam incertum est utrum infinitivi ad verbum 'instant' referendi sint, an subaudiendum sit 'operi' (cf. v. 504 'instans operi') et infinitivi historici vocandi sint.

[2]) cf. Enn. Ann. 394 'infit'.

luctor Aen. XII 387 'luctatur . . . telum eripere', cf. verbum contendendi (p. 75).

incumbo Georg. IV 249 'incumbent . . . sarcire ruinas' et Aen. XII 774, quae structura ex analogia verbi curandi (cf. p. 74) nata est.

trepido Aen. IX 114 'ne trepidate . . . defendere navis' pro 'ne festinate' (cf. p. 75).

B. Verba incipiendi, desistendi, similia.

accingor Georg. III 46 'accingar dicere.' Confer verbum parandi vel adoriendi p. 77 sq.

insequor Aen. III 32 'convellere vimen / insequor', ut verbum pergendi (cf. p. 78.)

absisto Aen. VI 399 'absiste moveri.' Item verbum desistendi usurpabatur (cf. p. 78.)

C. Verba sciendi, valendi similia.

evalesco Aen. VII 756 'non cuspidis ictum medicari / evaluit. Quae verbi forma sine dubio metri gratia pro 'valuit' vel 'potuit' scripta est.

sufficio Aen. V 21 'nec tendere tantum sufficimus.' Hic quoque usus verbi valendi analogia effectus est.

Quae exempla manifesto docent Vergilio excultum[1]) usum Latinum praesto fuisse, quem interdum analogiae auxilio auxit. Nam magnam vim analogiae tribuendam esse Servius testatur, cum ad Aen. IX 114 adnotat: 'ne trepidate' pro 'ne festinate.' Sermonis digni sive varii studio ut alii poetae ita Vergilius coactus est, ut consuetudinis traditae fines transgressus verba, quae ad id tempus infinitivum sibi non applicaverant, mutata ratione adhiberet. Varietatis autem studium praecipue e figuris, quas pro imperativo 'noli' finxit, cognoscas:

Buc. IX 25 'occursare capro caveto',
Aen. III 42 'parce scelerare manus',
Aen. VI 399 'absiste moveri',
ibid. 614 'ne quaere doceri',
Aen. VII 96 'ne pete sociare',
Aen. XII 60 'desiste manum committere Teucris.'

[1]) Addere licet quod Nordenus verisimile proposuit Vergilium pluribus quam qui traditi sunt locis Ennium secutum esse. Ita Aen. VI 125 et 562 'orsa loqui', 567 'subigitque fateri', 851 'regere imperio . . . memento'.

Praeterea vel inde, quod verbis differendi et trepidandi praeter Vergilium Horatius quoque in carminum oratione polita atque eleganti (IV 4, 21 et 4, 23) infinitivum subiunxit, intellegas, quantopere sermo dignus et varius poetis cordi fuerit. — Quam facile porro ipso verborum contextu poeta adduci poterat, ut novas figuras componeret, hi loci probant: Aen. VI 566 sqq. (cf. supra p. 80 s. v. 'differo') et Aen. XII 774 'incubuit voluitque manu convellere ferrum / Dardanides teloque sequi quem prendere cursu / non poterat.

Hae igitur erant rationes, quae Vergilium, ut sermonem Latinum augeret, commoverunt. Quod attinet ad exemplaria Graeca, quae poeta vertit, nonnulla mentione digna sunt. Ubi apud scriptorem Graecum infinitivi usus Latinae quoque linguae aptus inveniebatur, poeta structuram Graecam ad verbum fere vertere veritus non est, quod loci s. v. 'conor' et 'certo' allati demonstrant. Interdum infinitivum de suo addidit, ubi exemplar Graecum eum non praebuit, ut Aen. IV 238 (cf. p. 78) et Buc. VIII 66 (cf. p. 79). Ad dilatandum autem usum consuetudo Graeca haud magni momenti fuit. Nullum enim habemus exemplum, quo poetam commotum esse apparet, ut novam et audacem infinitivi structuram efficeret.

Iam vero pauca nobis dicenda sunt de Georg. I 139 'tum laqueis captare feras et fallere visco / inventum et magnos canibus circumdare saltus.' Brenousio enim, qui (p. 345) hanc structuram cum infinitivo substantivi loco usurpato comparatam, ut Plaut. Poen. 313 'ego amo hanc | at ego esse et bibere' vel Curc. 28 'ita tuom conforto amare', sermoni Graeco, velut Herod. I 137 *αἰνέω δὲ καὶ τόνδε (τὸν νόμον) τὸ μὴ μιῆς αἰτίης εἵνεκα μηδένα φονεύειν* tribuit, assentiri nequimus. Immo figuram cum aliis locis vere Latinis comparandam esse censemus, ut Plaut. Aul. 572 'decretum est bibere', Afran. 274 'deliberatum est non tacere', Acc. 149 'vinci nullum probrum est', Plaut. Most. 959 'triduom unum est haud intermissum hic esse et bibi / scorta duci pergraecari fidicinas tibicinas ducere.' Quae exempla satis comprobant hunc infinitivi usum, quod id, quod praedicato continetur, accuratius describitur, nequaquam abesse a consuetudine Latina. Nihil igitur est, cur illum locum Vergilianum ad sermonem Graecum referamus.

Praeterea tractanda est vox 'est' cum infinitivo coniuncta,[1]) quam Ed. Woelfflin (Arch. f. lat. Lex. II 135) uberius tractavit huius usum Graecanicum esse censens ex Graeco illo ἔστιν, ut Od. ι 411 νοῦσόν γ' οὔπως ἔστι Διὸς μεγάλου ἀλέασθαι, ortum. E Vergilii operibus hi loci afferendi sunt: Catal. XIV 1 (Birt p. 163 sq.), Buc. X 46, Georg. IV 447, Aen. VI 596, Aen. VIII 676 'cernere erat', quem ad versum Servius adnotat: 'Graeca figura est sicut Graece dicitur ὁρᾶν ἔνεστι.' At iam ante Vergilium nonnulla exempla Latina eiusdem consuetudinis inveniuntur, ut Varr. apud Gell. N. A. XVIII 12 'est animadvertere' et Mumm. 1 'est videre' (Ribb.[3] p. 331; Lachm. ad Lucr. V 533; Kauer ad Ter. Ad. 828)[2]). Quae cum ita se habeant, non iam acriter diiudicari posse censemus uter sermo consuetudinem Vergilianam pepererit.

D. De infinitivo substantivis adiuncto.

Ut verbis ita vocum conformationibus, quae verborum locum tenent, praecipue substantivis cum verbo coniunctis scriptores Latini inde ab antiquis temporibus infinitivum subiunxerunt. Cuius consuetudinis et oratio soluta et poesis permagnum exemplorum numerum praebet,[3]) ut Caes. B. G. VII 26, 1 'Galli postero die consilium ceperunt (pro 'constituerunt') ex oppido profugere.' Ne optimi quidem orationis solutae scriptores hoc usu ibi abstinent, ubi substantivum cum verbo arte coniunctum aperte verbi simplicis notionem habet; ubi vero ratio, quae est inter verbum et substantivum, adeo soluta est, ut propria substantivi vis praevaleat, gerundivum adhibent, ut Caes. B. G. III 2, 2 'ut . . . Galli belli renovandi legionisque opprimendae consilium caperent.'[4]) Poetae autem maiore licentia usi interdum prope ad consuetudinem Graecam accesserunt. Graeci enim propter gerundivi defectum et verbis et substantivis eadem ratione infinitivum applicare cogebantur, ut Xen. Anab. I 3, 11 ἐμοὶ δοκεῖ οὐχ ὥρα εἶναι ἡμῖν καθεύδειν.[5]) Vergilius quoque haud raro (quadraginta fere locis) usum, de quo

[1]) quae in locum vocabuli 'licet' substituitur.

[2]) Eiusdem consuetudinis exemplum Lucretianum II 16 'nonne videre est' admodum dubium esse Munro (ad l. l.) monet. At sine dubio figura, si recte legitur apud Lucretium, ad Vergilii illud 'cernere erat' magni momenti fuit.

[3]) Kuehner-Stegmann II 1 p. 670 et 744. — [4]) Schmalz p. 420.

[5]) Kuehner-Gerth II 2 p. 13.

agitur, adhibuit, interdum magna audacia, ut Nordenus figuram, quam poeta Aen. VI 133 composuit: ‘si tantus amor menti, si tanta cupido / bis Stygios innare lacus, bis nigra videre / Tartara et insano iuvat indulgere labori’ haud iniuria audacissimam vocet. Item Servius iudicat, cum ad Aen. II 8 sqq. ‘et iam nox umida caelo / praecipitat suadentque cadentia sidera somnos / sed si tantus amor casus cognoscere nostros / et breviter Troiae supremum audire laborem’ adnotat: ‘casus cognoscere: cognoscendorum casuum, et Graeca figura est.’[1]) Profecto primum huiusce generis exemplum Latinum: Enn. Sc. 257 ‘(cupido) cepit miseram nunc me proloqui’ Graecam structuram ad verbum vertit: Eur. Med. 57 *ὥσθ᾽ ἵμερος μ᾽ ὑπῆλθε . . . λέξαι.*[2]) Simili ratione haud scio an usum Graecum respexerit Vergilius Aen. II 8 sqq., quibus versibus modo allatis eum Homerum imitandum sibi proposuisse probabile est. Confer enim Od. λ 328 *πάσας δ᾽ οὐκ ἂν ἐγὼ μυθήσομαι οὐδ᾽ ὀνομήνω / ὅσσας ἡρώων ἀλόχους ἴδον ἠδὲ θυγάτρας / πρὶν γάρ κεν καὶ νὺξ φθῖτ᾽ ἄμβροτος. ἀλλὰ καὶ ὥρη / εὕδειν.* Etsi figurae sententia adeo inter se discrepant, ut vix comparari possint, tamen non dubitamus, quin Vergilius infinitivi usum hoc loco sermoni suo inseruerit, quod non ignoravit Homerum quoque haud raro ei indulsisse.

Sermonem igitur Graecum huic consuetudini augendae usui fuisse nemo certe est qui neget. Neque vero praetermittendae sunt ceterae rationes, quae ei faverunt. Multum sermonis Latini ipsius analogiae debetur, quod et Aeneidos libri sexti versus allati docent, ubi verborum conformationes ‘amor est’ et ‘cupido est’ eadem ratione infinitivum sibi adsciscunt atque verbum ‘iuvat.’ Plurimum autem metricae rationes valuerunt, quod iam Koene (p. 15) recte cognovit. Permultae enim gerundivi formae poetis dactylicis natura aut ingratissimae aut omnino vetitae sunt.[3])

E. De infinitivo apto ex adiectivis.

Vim multo maiorem linguam Graecam in sermonem Latinum exercuisse constat in usu infinitivi apti ex adiectivis, quippe quae consuetudo Graecis antiquitus familiarior fuerit quam Romanis.

---

[1]) Nullo alio loco de Graeca figura admonet. — [2]) Schaefler p. 75.
[3]) v. etiam Nordenum (ad Aen. VI 133).

Graeci inde ab Homeri aetate permultis adiectivis infinitivum subiunxerunt,[1]) ut Plat. Phaedr. 253 θ λευκὸς ἰδεῖν, Il. Σ 258 τόφρα δὲ ῥηΐτεροι πολεμίζειν ἦσαν Ἀχαιοί, Eur. Med. 316 λέγεις ἀκοῦσαι μαλθάκα. Qua ratione praeter cetera haec usurpaverunt: ῥᾴδιος, χαλεπός, ἡδύς, ἄξιος, δίκαιος, ἀναγκαῖος, δεινός similia. Plerumque in hac figura adhibenda infinitivo activi generis faverunt,[2]) ut Tyrt. frgm. 5, 3 (Bergk) Μεσσήνην ἀγαθὴν μὲν ἀροῦν, ἀγαθὴν δὲ φυτεύειν, etsi interdum, ut Herod. IV 53 Βορυσθένης πίνεσθαί τε ἥδιστός ἐστιν infinitivus passivi invenitur.

Apud Latinos quoque scriptores huius infinitivi fata bene cognosci possunt.[3]) Ennius haec exempla praebet:[4]) Ann. 252 'alter pugnare paratust' (item Terentius, Accius, Lucilius), Ann. 333 'bellum tolerare potentes', Ann. 153 'defessi sunt stare.' Plautus eadem ratione usurpavit adiectiva vel participia 'animatus, defessus, aegrotus, occupatus, consuetus (ita etiam Pacuvius et Lucilius), adsuetus.[5]) Praeterea idem scriptor figuras 'immemor sum (Peud. 1104) et 'neglegens sum' (Most. 141) cum infinitivo coniunxit, quae pro verbis simplicibus usurpatae sunt. Unde elucet hanc consuetudinem tam arte cum infinitivo verbis adiuncto cohaerere, ut ex eo orta esse videatur. Quae sententia iam a Draegero (Histor. Syntax der lat. Spr. Leipzig 1878 II p. 353) prolata eo comprobatur, quod praecipue adiectiva verbalia vel participia infinitivum sibi adsciscunt, in quibus praeter vim adiectivi etiam notio verbalis inest. Primum autem adiectivum proprium, cui infinitivus applicatur: Lucil. 414 (Marx) 'magnus fuit trico nummarius solvere nulli / l e n t u s' verbo auxiliari subaudito notionem cunctandi accepit, quod verbum crebro infinitivum sibi applicavisse supra (p. 75) cognovimus.[6]) Lucretius praeter nonnulla adiectiva, in

---

[1]) Kuehner-Gerth II 2 p. 13. — [2]) Kuehner-Gerth II 2 p. 15 adn. 13.

[3]) Schmalz p. 420 adn. 1; Brenous p. 321 sqq., Kuehner-Stegmann II 1 p. 683 sqq.

[4]) Frobenius p. 58. — [5]) Bennett p. 418.

[6]) Locum Ennianum a Frobenio allatum praetermisimus hunc: Ann. 157 'et qui sextus erat (sic Hertz et Madvig emendaverunt Festum (p. 312 Lindsay): et quis est erat) Romae regnare quadratae'. Hertzii enim mutatio incertior est quam qua nitamur. Praeterea haud scio an versus e verborum contextu soluti structura deleta sit, ut participium velut 'destinatus' subaudiendum sit.

quibus inest notio verbalis, ut 'doctus' aliis,[1]) unum solum cum infinitivo coniunxit: V 123 'quae sint indigna videri.'[2]) Apud Catullum simili ratione invenitur (68, 131) 'concedere digna.' — A prosa autem oratione Latina hic infinitivi usus tam plane abest, ut Cicero nulli participio neque adiectivo nisi huic: 'paratus' infinitivum adiungere ausus sit, cuius formae vim verbalem eum aperte sensisse ex his locis cognoscas, quibus etiam alias eiusdem verbi formas item adhibuit: 'paratus sim' Verr. III 193; 'parabam' Att. V 20, 7; 'paro' Att. XIV 21, 4. Sallustius Cat. 25, 2 'psallere et saltare . . . docta' unicum exemplum praebet.

At iam accedamus ad consuetudinem Vergilianam. Ut apud Ciceronem participium 'paratus' infinitivum sibi applicavit Buc. VII 5, Aen. II 62, V 108, XII 38.[3]) Huc pertinent illa quoque participia vel adiectiva, quorum vis verbalis facile sentitur, ut: 'suetus' (Aen. III 541), 'insuetus' (Aen. X 364), 'adsuetus' (Aen. IX 511, XI 495 alibi), 'nescius' (Aen. XII 527 alibi), 'peritus' (Buc. X 32). Neque haec figura: Aen. XII 290 'avidus confundere foedus'[4]) abhorret a sermone Latino, quoniam adiectivi notio participio verbi desiderandi cognata est, quod locus in adnotatione huic paginae addita allatus: Aen. I 514 comprobat. Consuetudo Latina etiam Aen. IV 564 'certa mori' (pro 'destinata mori') analogiae vi peperit, quam figuram poeta, ut dictionem variaret, finxisse videtur, nam paulo ante (v. 554) solitum genetivi gerundii usum 'certus eundi' posuit (p. 44).

Etsi igitur sermo Latinus ipse huius infinitivi usurpandi facultatem praebuit, tamen fieri non potest, quin nonnullas figuras Graecanicas vocemus. Priorum scriptorum Latinorum exemplis, quae modo attulimus, Vergilius niti potuit, cum Buc. V 54 fingeret 'dignus cantari' et ibid. 89 'dignus amari.' At, quoniam raro tantum adiectivo 'dignus' infinitivus applicatus est, probabile

---

[1]) Reichenhardt p. 478.

[2]) Scriptores Latini infinitivum tum activi tum passivi generis adhibuerunt, prout singulis locis aptus atque idoneus fuit.

[3]) Formis finitis verbi parandi poeta vicies bis infinitivum subiunxit (p. 77 sq.).

[4]) Alterum quod affert Krause (p. 80) exemplum: Aen. I 514 'avidi coniungere dextras / ardebant' huc non pertinet, quia infinitivus ad verbum 'ardebant' referendus est, cf. p. 74 s. v. 'ardeo'.

est huiusce generis structuras Graecas: ἄξιος θρήνων τυχεῖν (Soph. Ai. 924), ἀξία τιμῆς λαχεῖν (Ant. 695), οὐδέ εἷς . . . ἄξιός ἐστι Πολυκράτεϊ μεγαλοπρεπείην συμβληθῆναι (Herod. III 125) Vergilianis exemplari fuisse. — Hesiodi versibus (Erg. 812)[1]) ἐσθλὴ μὲν γάρ θ' ἥγε φυτεύεμεν . . . et (ibid. 814) παῦροι δ' αὖτε ἴσασι τρισεινάδα μηνὸς ἀρίστην / ἄρξασθαί τε πίθου καὶ ἐπὶ ζυγὸν αὐχένι θεῖναι / βουσί commotus poeta Georg. I 284 'septuma post decumam felix et ponere vitem / et prensos domitare boves et licia telae / addere' adiectivo 'felix' infinitivum subiunxit. — Exemplar Graecum Il. *Β* 553 sq. τῷ δ' οὔ πώ τις ὁμοῖος ἐπιχθόνιος γένετ' ἀνὴρ / κοσμῆσαι ἵππους τε καὶ ἀνέρας ἀσπιδιώτας effecit, ut Aen. VI 164 'quo non praestantior alter / aere ciere viros Martemque accendere cantu' structura consuetudinis Graecae simillima usurparetur, licet perfacile e sermone Latino per analogiam vocum 'potens' vel 'peritus' nasci potuerit. Qui loci, dico Georg. I 284 et Aen. VI 164 aliam figuram peperisse videntur: Aen. IX 772 'quo non felicior alter / ungere tela manu ferrumque armare veneno.' — Ad Theocriteum denique sermonem (Id. VIII 3) ἄμφω ἀνήβω / ἄμφω συρίσδεν δεδαημένω ἄμφω ἀεῖδεν hi versus Vergiliani spectant: Buc. V I 'boni . . . / tu calamos inflare levis, ego dicere versus' et Buc. VII 4 'ambo florentes aetatibus, Arcades ambo / et cantare pares et respondere parati.'[2]) Altero autem loco (Buc. VII 4) concinnitatis studium figuram 'cantare pares' secundum usum solitum 'respondere parati' effecit.

Postremo autem afferendus est hic locus: Aen. VI 49 '(Sibylla) maiorque videri / nec mortale sonans', quem Wagner (Quaest. Verg. XXX p. 521) recte ita interpretatus est, ut 'videri' non haberet pro infinitivo historico, de quo primo obtutu cogitare possis, sed a voce 'maior' pendere putaret, ut Il. *Ε* 725 θαῦμα ἰδέσθαι.

F. De nominativo cum infinitivo.

Graecanicos porro eos locos vocandos esse, quibus verbis declarandi et sentiendi nominativus cum infinitivo subiunctus est,

[1]) Morsch p. 37.

[2]) Alterum exemplum Graecum, quod Vergilii Buc. VII 4 simile est, Erycii versus (Anth. Pal. VI 96) Γλαύκων καὶ Κορύδων, οἱ ἐν οὔρεσι βουκολέοντες / Ἀρκάδες ἀμφότεροι eundem infinitivi usum non praebet.

Forbiger (ad Aen. IV 305) Schaefler (p. 87) Schmalz (p. 432) Brenousius (p. 328) Stegmann (p. 702) alii inter se consentiunt. Ac re vera, cum subiectum non mutabatur, Graeci his verbis infinitivum cum nominativo subiecti applicabant, ut Od. α 180 *Μένδης Ἀγχιάλοιο δαΐφρονος εὔχομαι εἶναι / υἱός*[1]) et Plat. Prot. 316 C *σκόπει πότερον περὶ αὐτῶν μόνος οἴει δεῖν διαλέγεσθαι πρὸς μόνους*, cum scriptores Latini accusativum cum infinitivo adhiberent. Nominativi insueti primum exemplum Latinum affertur hoc: Plaut. Asin. 633 'minae / quas hodie adulescens diabolus ipsi daturus dixit.'[2]) Sed locus incertus est, quippe qui etiam sic interpretari possit: 'minae, de quibus iuvenis, qui daturus est, locutus est.' Primum igitur exemplum certum Catullus praebet in carmine quarto, quod Vergilius Catal. X ad verbum fere imitatus est.[3]) Confer autem Verg. Catal. X 2 '(Sabinus) ait fuisse mulio celerrimus' cum Catull. IV 2 '(Phaselus) ait fuisse navium celerrimus.' Versu 18 sq. autem 'dicit . . . iter parasse mulio / neque ipse non iugum tulisse', quo Vergilius Catulli versum 18 sq. secutus est: 'et inde tot per impotentia freta / erum tulisse' nominativum suo Marte addidit. Primum igitur exemplum Vergilianum ad Catulli sermonem referendum est. Praeterea autem haec exstant: Aen. IV 305 'dissimulare etiam sperasti perfide tantum / posse nefas tacitusque mea decedere terra' et Aen. XI 503 'audeo et Aeneadum promitto occurrere turmae / solaque Tyrrhenos equites ire obvia contra.'

Vix pro certo probari potest poetae hos versus pangenti sermonem Graecum ante oculos versatum esse. Eodem enim iure Vergilium carminis Catulliani meminisse iudices. Nominativi autem insoliti usus haud scio an sermoni cotidiano minus accurato atque diligenti tribuendus sit, etsi loco Plautino niti non audeo. Vergilio autem ipsi structuram insuetam visam esse alter locus allatus (Aen. XI 503) probat, ubi verbo audendi, quod secundum consuetudinem vulgarem nominativum cum infinitivo sibi applicat, verbi promittendi usum audacem lenire studuit.

---

[1]) Kuehner-Gerth II 2 p. 29 et 33.

[2]) de quo cf. Schmalzium p. 432.

[3]) Birt p. 114 sqq.

G. De infinitivo perfecti pro infinitivo praesentis usurpato.

Perfecto Latino aoristus et perfectum proprium continentur.[1]) Quo factum est, ut infinitivus perfecti tum perfecti tum aoristi modo ad varias temporis rationes significandas usurparetur. Non solum igitur, cum pro perfecto proprio est, praeteritum tempus notat, sed etiam, ubi aoristi locum tenet, quodvis tempus et praeteritum et praesens et futurum describit. Quem usum antiquitus haud abhorruisse a sermone Latino praecipue orationis forensis exempla probant, velut s. c. de Bacch. 16 'neve extrad urbem sacra quisquam fecise velet.' Idem apud antiquos auctores haud raro invenitur. Bennettius (p. 427 sqq.) cum ex inscriptionibus tum e Naevii Plauti Catonis Pacuvii Terentii Afranii operibus haec verba attulit, quae infinitivum perfecti temporis significatione neglecta sibi applicaverunt: 'aequom est, cupio, nolo, operae pretium est, oportet, opus est, volo, expeto, decet.' Accedit, quod Cicero Enniano illo laudato 'quem quisque odit, perisse expetit' (Sc. 402) De off. II 23 ne ab Ennii quidem dictione tale quid afuisse testatur. Unde elucet imprimis ea verba, in quibus inest notio quaedam sive voluntatis sive necessitatis, infinitivum perfecti sibi applicavisse. Qui usus antiquus psychologicis quibusdam rationibus auctus esse videtur. Subiectum enim adeo desiderio aut necessitate verbo expressa afficitur, ut verbi actionem infinitivo significatam velut perfectam cogitatione sibi fingat.

Posterioris aevi poetae consuetudinem a scriptoribus antiquis traditam acceperunt, ut Catullus 69, 2 'velit supposuisse' et Lucretius III 69 'effugisse volunt longe longeque remosse.' Ne solutam quidem orationem ab hoc usu abhorruisse Sall. Hist. II 47, 12 (Maur.) docet: 'volentem pro maxumis beneficiis animam dono dedisse.'[2])

His igitur exemplis, quaenam fuerit consuetudo vere Latina, demonstravimus. Iam vero perquiramus sermonem Vergilianum.

---

[1]) Stolz-Schmalz p. 246 sq., 272 sqq., 276 sq., 486.

[2]) Eundem usum licet non verbo volendi aut cogendi subiunctus sit apud Ciceronem invenimus Ep. ad Brut. I 16, 6 (Tyrell and Purser vol. VI ep 864): 'nonne hoc est in easdem tenebras recidisse, si ab eo, qui tyranni nomen ascivit sibi . . . petitur, ut vindices atque oppressores dominationis salvi sint'.

Antiquorum scriptorum Latinorum morem poeta secutus est Aen. VI 86 'sed non et venisse volent.' Item aut verbis impersonalibus similis notionis infinitivum perfecti adiunxit, ut Aen. I 548 (paenitet), Aen. X 14 (licet), ibid. 625 (vacat), ibid. 888 (taedet), Georg. III 435 'nec mihi tum mollis sub divo carpere somnos / neu dorso nemoris libeat iacuisse per herbas', qui versus manifesto infinitivi perfecti significatum docent, aut per analogiam alias figuras finxit, ut Aen. III 431 (praestat). Tamen sermonis Graeci vis nulla non fuit. Servius ad Aen. VI 78 'bacchatur vates magnum si pectore possit / excussisse deum' adnotat: 'excussisse pro excutere, tempus pro tempore, est autem Attica figura,[1]) qua nos uti non convenit, quia hac licenter utuntur poetae.' Cui iudicio Brenousius (p. 338) plaudit, cum Norden exemplum allatum linguae Latinae ingenio conveniens, alia autem velut Georg. III 435, quod modo tractavimus, Graecanica vocet. Re vera poetam Aeneidos versum (VI 78) pangentem intra consuetudinis Latinae fines versatum esse Plaut. Aul. 828 'non potes probasse nugas' comprobat. Praeterea Norden recte iudicat rationem psychologicam illo loco manifestam esse, Sibyllam enim cupere id, quod desideret, iam perfectum esse, h. e. se deum iam excussisse pectore. Aliud autem exemplum maioris momenti est ad hanc quaestionem: Buc. II 34 sqq., ubi Corydon Alexin invitat, ut se sequatur (v. 28): 'o tantum libeat mecum tibi sordida rura / atque humilis habitare casas et figere cervos / haedorumque gregem viridi compellere hibisco . . . (34) nec te paeniteat calamo trivisse labellum.' Quibuscum verbis comparamus Theocriti versus (Id. XI 65)[2]) *ποιμαίνειν δ' ἐθέλοις σὺν ἐμὶν ἅμα καὶ γάλ' ἀμέλγειν / καὶ τυρὸν πᾶξαι*. Hoc igitur loco poeta licet structura traditam consuetudinem Latinam haud violet, tam aperte Graecum sermonem secutus est, ut dubitari non possit, quin usus ille dictionem Latinam adiuverit.

Accedit autem, quod huic infinitivi usui metricae artis necessitas admodum favit, quae crebro poetas commovit, ut infinitivum perfecti metro dactylico plerumque aptissimum infinitivo praesentis praeponerent. Quam rem Bednara (Arch. f. lat. Lex. XIV 1906

---

[1]) i. e. 'figura Graeca'. — [2]) Cartault p. 97.

p. 575) indicavit exemplis usus iis infinitivis, qui aut commodiores (iacuisse pro iacere) aut soli apti sunt (continere et continuisse).[1]

---

§ 7. De participii usu.[2]

A. De participio futuri finali.

Landgraf, Arch. f. lat. Lex. IX 1896 p. 47.

Participium futuri activi copula non adiuncta in antiqua Latinitate raro finali notione usurpatum est. Ennii versus Ann. 573 ‘carbasus alta volat pandam ductura carinam’ e verborum contextu exemptus incertior est quam ut aliquid probet. Primum exemplum certum Gellius (XI 10, 4) e C. Gracchi oratione quadam tradidit ‘qui prodeunt dissuasuri.’ E Ciceronis operibus hic locus adferri solet: Verr. I 56 ‘P. Servilius adest de te sententiam laturus.’ Sallustius eundem usum praebet Hist. II 71 (Maur.) ‘multi occurrere falsum filium arguituri’ et altero loco, quem Quintilianus Inst. IX 3, 12 operis titulo non commemorato his verbis adnotat: ‘ut non paeniturum’ pro ‘non acturo paenitentiam’ et ‘visuros’ ‘ad videndum missos’ idem auctor dixerit.’ Eadem ratione auctor libri, qui est de bello Africo, participium futuri bis adhibuit (25, 4 et 65, 3). Landgrafius, qui in huius structurae originem inquisivit, usum Sallustii tempore ortum sermoni Graeco praecipue Thucydidis, cuius dictionem Sallustius libentissime imitatus sit, deberi iudicat. Quam ad opinionem Brenousius (p. 350) et Schmalzius (p. 455) accesserunt. Ac profecto Graeci inde ab antiquissimis temporibus participium futuri ad finem describendum usurpaverunt, ut Il. *B* 49 *ἠῶς θεὰ . . . προσεβήσετο . . . ἐρέουσα.*[3]) Quare non negabimus hanc consuetudinem Graecam structurae Latinae proferendae usui esse potuisse. Certe autem linguae Latinae ipsius indoles eius initium fecit. Nam per se patet verbi formam, qua significatur aliquem futuro tempore quid facturum

---

[1]) Idem Koene p. 156, 168, 224 tractavit.

[2]) Brugmann-Delbrueck IV p. 476 sqq., Schmalz p. 449 sqq., Kuehner-Stegmann II 1 p. 755 sqq., Bennett p. 429 sqq., Kuehner-Gerth II 2 p. 46 sqq., Brenous p. 349 sqq.

[3]) Kuehner-Gerth II 2 p. 86.

esse, perfacile consilii et finis notionem sibi applicare posse, immo consilii significatio ei natura insita est. Vergilio autem et qui eodem tempore floruerunt scriptoribus exempla priorum praesto fuerunt, neque ad Vergilianam dictionem, qualis est Aen. IX 400 'an sese medios moriturus in enses / inferat',[1]) sermonem Graecum multum attulisse nobis persuasimus. Quam sententiam haud scio an probaturus sis, cum varias notiones, quibus poeta participio 'moriturus' usus est, perlustraveris. Significat enim vel hominem qui morietur et mori decrevit, ut Aen. IV 308 '(te) nec moritura tenet crudeli funere Dido' et Aen. IV 604 (de Didone) 'quem metui moritura', vel eum qui morti proximus est, ut Georg. III 501 'sudor et ille quidem morituris frigidus', vel eum, cui fato mori destinatum est, ut Georg. IV 458 sq. 'inmanem ante pedes hydrum moritura puella / servantem ripas alta non vidit in herba.' Pro varia igitur huius participii significatione sermone Graeco opus non fuit, ut finalem quoque notionem sibi adiungeret. Quam ob causam, quod quidem attinet ad Vergilium, usum proprie Latinum habendum neque more Graeco auctum esse censemus.

B. De nominativo participii verbis sentiendi et dicendi adiuncto.

Ut interdum nominativum cum infinitivo vel infinitivum nudum[2]) ita scriptores Latini praeter sermonis vernaculi usum solitum verbis sentiendi et dicendi nominativum participii subiunxerunt, velut Vergilius Aen. II 377 'dixit et extemplo — neque enim responsa dabantur / fida satis — sensit medios delapsus in hostis.' Quam structuram Schmalzius (p. 455), Stegmann (p. 702), Brenousius (p. 333) alii Graecanicam vocant. Graeci enim verbis sentiendi declarandi similibus participium ad verbi actionem accurate describendam subiungere solebant, ut Herodotus III 1 *ὦ βασιλεῦ, διαβεβλημένος ὑπὸ Ἀμάσιος οὐ μανθάνεις* et Xenophon Hell. VI 4, 23 *ὁ θεὸς πολλάκις χαίρει τοὺς μὲν μικροὺς μεγάλους*

---

[1]) Participii futuri notio finalis his quoque locis manifesto apparet: Aen. II 46 sq. 'haec . . . fabricata est machina . . . / inspectura domos venturaque desuper urbi', ibid. 675 'si periturus abis', Aen. V 107 'laeto conplebant litora coetu / visuri Aeneadas', Aen. VII 128 'haec nos suprema manebat / exitiis positura modum', Aen. XI 82 'caeso sparsurus sanguine flammas'. — [2]) cf. p. 87 sq.

ποιῶν τοὺς δὲ μεγάλους μικρούς.[1]) Quae dictionis similitudo re vera tanta est, ut primo obtutu virorum doctorum opinio iusta videatur. At quaeramus, quatenus consuetudo Latina ipsa scriptori figuram illam adhibenti usui esse potuerit. Verbo gaudendi Vergilius compluribus locis participium subiunxit: Georg. II 510 'gaudent perfusi sanguine fratrum', Aen. V 575 'excipiunt pavidos gaudentque tuentes / Dardanidae', Aen. X 500 'quo nunc Turnus ovat spolio gaudetque potitus', ibid. 723 'inpastus stabula alta leo ceu saepe peragrans . . . gaudet hians inmane', Aen. XII 6 'qualis leo gaudet comantis / excutiens cervice toros', ibid. 82 'poscit equos gaudetque tuens ante ora frementis', ibid. 702 'cum gaudet nivali / vertice se attollens pater Apenninus ad auras.'[2]) Quem usum Brenousius (p. 335 sq.) Schmalzium, qui Georg. II 510 eiusdem naturae esse censet atque Aen. II 377, secutus Graecanicum vocans cum illo χαίρει ποιῶν, velut Ar. Plut. 247 χαίρω φειδόμενος, comparat. Neque tamen recte. Participium enim locis Vergilianis attributi loco subiecto adiungendum est. Sic igitur exempla interpretanda sunt: 'gaudet dum' vel 'quia tuetur.' Participium autem per totam Latinitatem causam significavit, ut Terentius Hec. 601 'quam fortunatus sum hanc matrem habens talem' vulgarem sermonem Latinum secutus eundem usum praebeat atque Vergilius locis allatis. Item enim Vergilius laetandi causam participio expressit Aen. V 575, X 500 alibi. Interdum autem participium alias rationes notat. Ita Aen. X 723, qui locus sic interpretandus est: 'gaudet dum peragrat et hiat', praesertim cum poeta insuper addiderit 'si forte fugacem / conspexit capream aut surgentem in cornua cervum.'[3]) Nihil igitur est, cur hanc con-

---

[1]) Kuehner-Gerth II 2 p. 50 sqq.

[2]) Item huc pertinent: Aen. II 204 'horresco referens' et Aen. V 373 'qui se / Bebrycia veniens Amyci de gente ferebat', ubi nostra quidem sententia 'se ferre' pro 'incedere' dictum est (ut Aen. I 503 'talem se laeta ferebat') adiuncta tamen — ut Forbigeri (ad Aen. V 373) verbis utamur — superbiae cuiusdam notione in ipso incessu conspicuae. Participium 'veniens' autem ad subiectum 'qui' referendum superbiae causam describit: 'quia venit'.

[3]) Participii igitur usum, qualem Homerus similibus versibus praebet: Il. Γ 23 sqq. ὥς τε λέων ἐχάρη μεγάλῳ ἐπὶ σώματι κύρσας / εὑρὼν ἢ ἔλαφον κεραὸν ἢ ἄγριον αἶγα / πεινάων Vergilius effugit, etsi vulgaris dictio Latina nequaquam obstitit, quin figuram Homericam ad verbum verteret.

suetudinem Graeco more effectam vocemus. — Aliter autem usus supra (p. 92) commemoratus ‘sensit delapsus’ comparatus est. Quod participium non eadem ratione explicari potest. Neque enim actionis verbalis causam significat, neque pro figura ‘sensit postquam delapsus est’ adhibetur. Nam ubi Vergilius verbum sentiendi absolute usurpavit, velut Aen. III 669 ‘sensit et ad sonitum vocis vestigia torsit’, VII 434 ‘rex ipse Latinus / sentiat et Turnum experiatur in armis’, VIII 393 ‘sensit laeta dolis et formae conscia coniunx’, omnibus locis obiectum facile e versibus praecedentibus intellegitur, quod illo loco (Aen. II 377) nullo pacto fieri potest, nam obiectum quod subaudiatur hic nullum est. Alia igitur ratio quaerenda est, qua structura oriri potuerit. Eundem autem usum eo tantum discrimine interposito, quod copula omittitur, nominativus cum infinitivo similibus verbis subiunctus praebet, quem — ut supra (p. 87 sq.) cognovimus — Vergilius e Catulli carmine quarto in suam orationem recepit. At non negamus unicum exemplum Vergilianum, de quo agitur, etiam eidem usui Graeco (cf. p. 92) adscribi posse. Vix diiudicari potest, utrum nominativi cum infinitivo structura an consuetudo Graeca ad figuram ‘sensit delapsus’ maioris momenti fuerit. Nam nihil probat, quod Servius, cum adnotat: ‘ordo autem est: ‘sensit in medios hostes se esse delapsum’, nominativum pro accusativo posuit ut Horatius (Ep. I 7, 22) ‘vir bonus et sapiens dignis ait esse paratus’ pro ‘ait se dignis paratum esse’’ usum Vergilianum e nominativo cum infinitivo verbis declarandi et sentiendi adiuncto natum esse censet.

C. De participio cum adverbiis vel particulis coniuncto.

Graeci frequenter participio q. d. coniuncto ad verbi actionem accurate describendam particulas vel adverbia praecipue temporis adiecerunt, ut *αὐτίκα*, *εὐθύς*, *ἐξαίφνης*, *μεταξύ*, *ἅμα*; ita Herod. II 146 *Διόνυσον . . . αὐτίκα γενόμενον ἐς τὸν μηρὸν ἐνεῤῥάψατο Ζεύς* et Xen. Anab. III 1, 47 *καὶ ἅμα ταῦτ᾽ εἰπὼν ἀνέστη.*[1]) Sermo Latinus eundem usum raro tantum praebet, quam ob causam eum ubicumque occurrit plerique viri docti[2]) maxima ex parte consuetudini Graecae deberi iudicant. Quae sententia structurae

[1]) Kuehner-Gerth II 2 p. 82.

[2]) Schmalz p. 458, Kuehner-Stegmann II 1 p. 789, Brenous p. 353.

fatis accuratius inspectis probari videtur. Antiquis enim temporibus usus rarissime invenitur. Plaut. Poen. 653 'adiit ad nos extemplo exiens' adverbium eodem iure ad verbum finitum 'adiit' referri licet.[1]) Cicero participiis adiecit particulas 'quamquam' et 'quasi',[2]) Sallustius (Hist. I fr. 77, 5) 'quippe' et (ibid. 2) 'quamquam', sed prudenter et raro. Augusteo autem aevo haec consuetudo subito crescere coepit, cui praeter ceteros Livius admodum indulsit, velut XXIV 27, 4 'nec illi primo statim creati nudare quid vellent.' Vergilius ea vocabula parce adhibuit. Aen. IX 644 '(Apollo) simul haec effatus ab alto / aethere se misit' adverbium 'simul' manifesto ad verbum finitum referendum est, quoniam participio perfecti non convenit. Aliis autem locis, velut Aen. X 856 'simul hoc dicens attollit in aegrum / se femur' et Aen. XII 758 'ille simul fugiens Rutulos simul increpat omnis' structura paululum mutata est, nam adverbium artius ad participium accessit, etsi vel haec exempla eodem modo atque Aen. IX 644 explicari possint. Qui progressus apud Vergilium ipsum sine consuetudinis Graecae et scriptorum historicorum auxilio factus est.[3])

---

§ 8. De numero et genere non congruentibus.

Schmalz p, 339 sqq.
Kuehner-Stegmann II 1 p. 20 sqq.
Kuehner-Gerth II 1 p. 52 sqq.

Denique pauca nobis dicenda videntur de rationibus, quae inter subiectum et praedicatum aut inter nomen et attributum intercedunt. Omnino poetam eorum congruentiam appetivisse per se patet. Tamen interdum a sermone solito discessit. Ita Aen. IX 525 'vos o Calliope precor, adspirate canenti', ibid. 257 'ego vos, cui sola salus genitore reducto . . . Nise . . . obtestor',

---

[1]) Vahleni opinio, qui ad Enn. Ann. 529 'tunc coepit memorare simul cata dicta' addi vult 'lacrimans', incertior est quam ut locus huic quaestioni usui esse possit.

[2]) Schmalz l. l.

[3]) Aen. V 357 'et simul his dictis faciem ostentabat' et Aen. XI 827 'simul his dictis linquebat habenas' poeta vocem 'simul' praepositionis loco cum ablativo coniunxit (cf. Krebs, Antibarbarus II⁶ p. 526).

Aen. I 140 'tenet ille immania saxa / vestras Eure domos' Vergilius singularem et pluralem numerum permutavit, cui usui grammatici ut exemplum versum Homericum Od. μ 82 νῆα ἰθύνετε φαίδιμ' Ὀδυσσεῦ[1]) adscribere solent. Neque tamen recte. Nam structura linguae Latinae[2]) tam propria est quam sermoni Graeco, quod priorum scriptorum Latinorum exempla docent, ut Cic. Brut. 11 'vos vero inquam Attice praesentem me cura levatis.' Figura enim psychologica quadam ratione efficitur, quae cuiusvis gentis homines movet. Poeta locis allatis complures homines alloquitur, quorum unum, qui inter omnes eminet ideoque prae reliquis animo loquentis obversatur, vocativo nominat. Et antiquorum imprimis comicorum scriptorum et sermonis cotidiani dictio minus accurata atque logicae artis vinclis minus coangustata usui libero admodum favit. Etsi concedendum est Vergilium ab hoc dicendi genere caute abstinuisse, tamen impediri non potuit, quin consuetudo soluta vel in poetarum optimorum dictionem elegantem et sublimem irreperet. Immo non dubium est, quin interdum consulto scriptores ei indulserint. Non igitur licet consuetudinem linguae Graecae tribuere.[3])

Buc. III 80 'triste lupus stabulis maturis frugibus imbres / arboribus venti nobis Amaryllidis irae' et Aen. IV 569 'varium et mutabile semper / femina' adiectivum, quod substantivo attributum esse videtur, substantivi genus non recepit. Quod tum fit, cum adiectivum substantivi partes gerit et genere neutro adhibetur. Cuius moris ante Vergilium perpauca inveniuntur exempla, in quibus haec sunt: Plaut. Poen. 238 'modus omnibus rebus, soror, optimum est habitu' et Cic. Fam. VI 21, 1 'cum omnium verum mors sit extremum.'[4]) Vergilius igitur priorum scriptorum Latinorum dictione niti potuit, cum bucolicorum versus allatos componeret. At similis structura Theocritea mentione digna esse

---

[1]) Kuehner-Stegmann II 1 p. 60.

[2]) Exempla antevergiliana Stegmann affert.

[3]) Σχῆμα illud Ἀλκμανικόν Aen. IX 288 'nox et tua testes / dextera', quod Aemilius Asper grammaticus (Serv. ed. Thilo Hagen III 537, 22) commemorat, ubere tractare supervacaneum est, quia codices illo loco habent 'testis'.

[4]) Kuehner-Stegmann II 1 p. 32, Schmalz p. 344.

nobis videtur, quippe quam Vergilius imitatus sit: Id. VIII 57 δένδρεσι μὲν χειμὼν φοβερὸν κακὸν . . . ἀνδρὶ δὲ παρθενικᾶς ἁπαλᾶς πόθος, neque enim dubium est, quin illud φοβερὸν κακόν adiectivi neutrius ‘triste’ causa fuerit.

Conclusio.

Quodsi quaestionis summam strictim amplectimur, primum perspici potest, quod iam libello ineunte verisimile proposuimus, nullam Vergilii sermonem praebere figuram, cuius fingendi facultatem quandam non dederit consuetudo Latina. Ita vel genetivus ille admodum insolitus Aen. X 441 ‘tempus desistere pugnae’ [1]) similibus structuris vere Latinis fulcitur. Simili ratione multas verborum conformationes, quas primo obtutu Graecorum more solo effectas esse iudicemus, acrius inspectantes ad veterum scriptorum Latinorum dictionem referre cogimur. Neque dubium est, quin antiquis praecipue autem Ennio Vergilius multas debeat figuras, quae pro paucis quae exstant Ennii et aliorum scriptorum fragmentis apud inferiores demum auctores nobis occurrunt. Consuetudinis autem Graecae auxilio eum sermonem suum locupletavisse quis est qui neget. Ita tamen id fecit, ut aut usus traditi fines proferret, [2]) aut analogia structurae Latinae usus novas figuras conformaret. [3]) Interdum patrii sermonis egestate coactus est. Plerumque autem dictionis variandae et expoliendae et removendae a consuetudine trita studium eum commovit. Quanta vis porro arti metricae vel similibus rationibus adscribenda sit, passim demonstravimus. Quae omnia hoc loco repetere longum est. Nominativi et vocativi usus mutuus et accusativi Graeci exempla prima — dico bucolicorum locos — manifesto illarum rationum vim docent. — Interdum in syntaxin Vergilii utpote hominis linguae Graecae periti fortuito aliquid Graeci irrepsisse probabile est, ut Aen. II 377 [4]) et aliis locis, quibus poeta figuram raram com-

---

[1]) de quo cf. p. 47.

[2]) cf. accusativi qui vocatur Graeci et infinitivi apti ex adiectivis usum.

[3]) ut Aen. XI 126, quo de loco p. 46 sq. disseruimus.

[4]) cf. p. 92 sqq.

posuit. Plerasque autem structuras consulto transtulit et velut ornamenta insignia diligenter excoluit, ut infinitivum finalem verbo dandi subiunctum aut accusativum Graecum aut accusativum adiectivorum neutrius verbis intransitivis applicatum.

Scriptorum Graecorum Vergilium praeter ceteros Homerum et Theocritum imitatum esse per se patet. Interdum etiam Hesiodi et poetarum tragicorum et Alexandrinorum, qui vocantur, syntaxi suam dictionem auxit. Quae scriptoribus historicis debet, per Sallustium accepisse videtur. Quodsi Ruetten (p. 81) de Vergilio Apollonii Rhodii imitatore censet: 'nescio quantopere mirer Vergilium tanti carmen illius fecisse', ad dictionem hoc iudicium referendum non est. Apollonii enim syntaxis Vergilio pro Homeri genere dicendi ieiunior atque debilior visa est, quippe quam omnino fere neglegeret.

Servius plerumque haud perperam de 'figuris Graecis' iudicat. Sed caute eius sententia examinanda est, priusquam adhibeatur. Interdum enim suae aetatis sermone deceptus esse videtur, ut ea, quae priorum temporum poetae Latino licuerant, tribueret consuetudini Graecorum.

Vita.

Antonius Lohmann Henrici filius et Elisabethae e gente Dacke natus sum Langenhorsti in vico Guestfalorum a. d. XII. Kal. Nov. a. 1891. Fidei addictus sum catholicae. Maturitatis testimonium gymnasii Dionysiani Rheinensis vere a. 1910 adeptus studiis philologicis operam navavi per bis sex menses in universitate Monasteriensi, deinde per sex menses in Monacensi, tum per idem tempus in Berolinensi, unde ad almam matrem Monasteriensem redii. Docuerunt me viri doctissimi Crusius Otto Vollmer Weyman Wolters Simon Monacenses, Diels Friedländer Norden Meister Mutschmann Preuner Roethe Wilamowitz Woelfflin Haguenin Morf Pariselle Berolinenses, Braun Cauer Ehrenberg Geyser Hoffmann Koepp Kroll Münscher Mausbach Schwering Seeck Sonnenburg Wiese Wünsch Monasterienses. Seminarii philologorum Monasteriensis sodalis ordinarius fui per duo semestria Münschero, Sonnenburgio, Wünschio moderantibus.

Quibus praeceptoribus omnibus gratias ago quam maximas, imprimis Krollio, qui conscribendae commentationis auctor fuit, Wünschio, qui in conficiendo opusculo benignissime me adiuvit, Sonnenburgio, qui de commentatione ad ordinem rettulit, cum Wünschius sub vexillis esset.